ſi partes contraxerint Matrimonium, dum forte Parochus confabulandi cauſſa, vel aliud negotium tractandi adeſſet, aliaque re occupatus audivit hujuſmodi contractum fieri, & poſtea contrahentium alter velit hujuſmodi contractum ratione illius defectus reſcindere: Sacra Congreg. cenſuit, Poſſe, niſi alia intervenerint, quæ Parochum a contrahentibus adhibitum fuiſſe arguant; ut refert *Fagnanus* ibidem. Sed ſi ex alia etiam cauſſa vocatus, adhibitus tamen fuit ad illum actum, etiamſi nihil eorum, quæ agebantur, vidit, & intellexit quia affectavit non intelligere, avertendo oculos, & obturando aures, ratum nihilominus eſt Matrimonium coram illo contractum, ut declaravit Congregatio Concilii, teſte *Fagnano*, in c. *Quoniam*, Ext. *De Conſtitutionibus*.

REGULA XI.

Gravis peccati rei ſunt, gravique Pœnitentia plecti debent, & a Judicibus etiam Regiis mulctari, qui Matrimonia contrahunt præſente dumtaxat, & non conſentiente Parocho, vel altero Sacerdote ab eo, aut ab Epiſcopo facultatem habente; nec Benedictionem Nuptialem ſecundum Eccleſiæ Ritum recipere curant.

Temere namque violant Sacroſanctæ Eccleſiæ Decreta, & Conſtitutiones Principum; graviſque ſcandali ſunt auctores. Cum ipſis ergo, ceu peccatoribus publicis eſt agendum.

REGULA XII.

Gravis etiam peccati rei ſunt, & gravi Pœnitentia merito plectendi, qui domicilium ex induſtria mutant, migrantque in Parochiam, ubi ſunt ignoti, ut ibi clanculum quæſito domicilii tempore Matrimonium contrahant, ubi noti ſunt, legitime ac juſte impediendum. Eorum longe gravius crimen eſt, qui conſulto migrant in regiones, in quibus Trid. Concilii recepta non eſt Diſciplina.

Eccleſiæ namque Leges dolo malo, & fraude inſigni eludunt.

REGULA XIII.

Parochus extra Parochiæ ſuæ fines Parochianos ſuos Matrimonio conjungere poteſt, modo Denuntiationes factæ ſint in Parochia. Validum eſt pariter Matrimonium coram Sacerdote, de licentia Parochi, extra illius Parochiam contractum.

De præſentia Parochi.

Matrimonii enim celebratio, ſive præſentia illius celebrationi a Parocho exhibenda, non eſt actus contentioſæ Juriſdictionis (ut loquuntur) adeoque non circumſcribitur territorio.

REGULA XIV.

Matrimonium contractum coram Parocho non Sacerdote, ratum eſt, præſertim ſi ſit intra annum ipſi a Jure conceſſum, ut Presbyteratus Ordinem ſuſcipiat.

Ita declaravit Congregatio Concilii Trid. Interprete; immo ſatis ad hoc, ut ratum habeatur, ut contractum ſit coram Parocho Minoribus tantum Ordinibus initiato. Refert *Fagnanus* in cap. *Quoniam*, Ext. *De Conſtitutionibus*.

REGULA XV.

Matrimonium coram Parocho ſuſpenſo, vel excommunicato contractum, nihilominus ratum eſt.

De Matrimonio contracto coram Parocho excommunicato, vel ſuſpenſo.

In hoc enim Sacramento Parochum nullam exercere Juriſdictionem, ſed meram exhibere præſentiam, & Miniſterium facti, cenſuit Sacra Congregatio Cardinalium Conc. Trid. Interpretum: Porro Suſpenſio, & Excommunicatio irritum non faciunt Sacramentum, niſi in his, quæ ſunt Juriſdictionis, ſicut eſt Abſolutio a peccatis. Ratum igitur eſt Matrimonium contractum coram Parocho ſuſpenſo, & excommunicato, etiam denuntiato, ut reſpondit Sacra Congregatio Concilii, tempore Cardinalis *Matthæi*, re diligenter examinata, teſte *Fagnano* in cap. *Litteræ quas*, Extr. *De Matrimonio contracto contra Interdictum Eccleſiæ*. Graviter tamen peccant, qui coram Parocho excommunicato ſcientes volentes contrahunt, & in Excommunicationem incurrunt, ſi ſit denuntiatus, quia ipſius vitare Communionem tenentur.

REGULA XVI.

Matrimonium coram Parocho intruſo contractum irritum eſt.

De Matrimonio contracto coram Parocho intruſo.

Ille enim non eſt verus Parochus: Conc. autem Trid. declarat irrita matrimonia, quæ aliter quam præſente Parocho, aut alio Sacerdote, de ipſius Parochi, aut Ordinarii licentia contrahuntur. Verum ſi titulum habeat ſaltem coloratum (ut loquuntur,) & errore communi vulgi Parochus habeatur, ratum eſt matrimonium coram ipſo contractum. Quamvis enim ipſo Jure privatus ſit Beneficio ob aliquod crimen, vel quia excommunicatus erat, cum ad illud promotus eſt, vel quia Beneficium habet alterum, quod cum Parochiali Cura poſſideri non poſſit, vel quia intra annum Sacrum Presbyteratus Ordinem non ſuſcepit; nondum tamen poſſeſſione ſpoliatus eſt, & quamdiu non ſpoliatur, præſumitur habere juſtam retinendi cauſſam, ut colligitur ex c. *Licet Epiſcopus*, tit. *De Præbendis, & Dignitatibus*, in Sexto.

REGULA XVII.

Matrimonium contractum coram Clerico non Sacerdote, de licentia Parochi, vel Ordinarii, nullum, & irritum eſt.

Tridentinum enim Conc. eos, *Qui aliter quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, Matrimonium contrahere attentabunt, ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos* Decreto ſuo *irritos facit, & annullat*.

REGULA XVIII.

Clandeſtinum eſt, & irritum Matrimonium ſine duobus, vel tribus teſtibus contractum.

De teſtibus neceſſariis, ut ratum ſit Matrimonium.

Id evidens eſt ex Concil. Trid. Decreto. Quatuor teſtes fide dignos Regia Conſtitutio Blæſis edita poſtulat: quod in hoc Regno obſervandum eſt. Attamen ſi duo tantum teſtes interſint, ratum erit matrimonium. Majorem enim numerum Lex divina non poſtulat ad aliquam veritatem comprobandam; *In ore* (inquit) *duorum, aut trium teſtium ſtabit omne verbum*. Quod vero ad teſtium qualitatem attinet, non ſunt ad ſeveram legum normam exigendi, ſed ſufficiunt quicumque rationis compotes, quamvis impuberes, conſanguinei, domeſtici, fœminæ, aut infames, quia moraliter præſentes eſſe poſſunt, & de re geſta teſtimonium ferre. Quales enim teſtes eſſe debeant Conc. Trid. non præſcribit. Curandum tamen eſt Parocho, ut noti ſint, ac probi.

Deut. 19. 15. Matt. 18. 16.

REGULA XIX.

Tres futuri Matrimonii Denuntiationes a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus Dominicis, aut Feſtis, ejuſdem celebrationi ſunt præmittendæ.

De Denuntiationibus, ſive Bannis.

Denuntiationes illæ, ſeu Proclamationes, quæ *Banna* vulgo nuncupantur, ab Eccleſia decretæ ſunt, tum ne clandeſtina matrimonia contraherentur; tum ut impedimenta matrimonii, ſi quæ forent inter Partes, Eccleſiæ innoteſcerent, nec perſonæ conjungerentur, niſi quas ad contrahendum inter ſe legitimas eſſe conſtaret. Harum denuntiationum uſus in aliquibus Eccleſiis Conc. Later. 4. præceſſit, præſertimque in Eccleſia Gallicana, ut diſcimus ex Conſtitutionibus *Odonis de Soliaco* Pariſienſis Epiſcopi, anno 1207. editis, & ex c. *Cum in tua*, Ext. *De Sponſalibus*, quod *Innoc. III.* Reſponſum eſt Epiſcopo Bellovacenſi datum. Hanc aliquorum locorum conſuetudinem ad alia generaliter prorogavit Conc. Later. 4. ſub eodem Pontefice, cap. 51. Eamque Legem confirmavit Conc. Trid. ſeſſ. 24. *De Reformatione Matrimonii*, cap. 1. *Sancta Synodus Sacri Lateranenſis Concilii ſub Innoc. III. celebrati veſtigiis inhærendo, præcipit, ut impoſterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtivis, in Eccleſia inter Miſſarum Solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum: Quibus Denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur Impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur*, &c. Idem ſancitum eſt Regia Conſtitutione Blæſis edita art. 40.

REGULA XX.

Denuntiationes Matrimonii futuri non ſunt neceſſariæ neceſſitate Sacramenti, ſed ſolum neceſſitate Præcepti: adeoque clandeſtinum, & irritum non eſt Matrimonium quod ſine Denuntiationibus contrahitur.

De Denuntiationibus omiſſis.

Denuntiationum omiſſione irritum non fieri matrimonium, ex Concil. Trident. Decreto colligitur. Hæc enim verba, *Qui aliter quam præſente Parocho*, &c. ad denuntiationum ſolemnitatem non referuntur, ſed ad Parochi, teſtiumque præſentiam, ſine qua initos contractus irritos declarat, & Partes ad ſic contrahendum inhabiles reddit: Non obſcure innuens, alterum defectum ſcilicet denuntiationum, matrimonium irritum non facere, nec Partes ad ſic contrahendum inhabiles reddere. Exceptio namque hoc in caſu Legem in ceteris firmat. Præterea, ſi denuntiationes ad matrimonii ſubſtantiam pertinerent, poſt matrimonium fieri non poſſent, ſed in ipſo actu deberent adhiberi, ut colligitur ex cap. *Auditis*, & cap. *Quia propter*, Ext. *De Electione* Individuum enim eſt, quicquid ad ſubſtantiam actus pertinet, ut ſeparari, vel disjungi ab illo non poſſit. Conſtat autem ex Conc. Trid. Decreto, matrimonium abſque denuntiationibus celebrari poſſe, cum illas Epiſcopus remittit: Conſtat poſt Matrimonii celebrationem denuntiationes

nes differri poſſe, ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, Matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi præmittantur: ad ſubſtantiam itaque matrimonii non pertinent; nec illarum omiſſio clandeſtinum, & irritum facit matrimonium. Ita reſpondit S. Congregatio Concilii Trid. Interpres, eaque eſt Theologorum omnium, & Juriſconſultorum pene univerſorum ſententia.

Quod ergo Regia Conſtitutio Blæſis edita, art. 40. *Matrimonia ſine Denuntiationibus valide contrahi non poſſe* a ſubditis Regis, cujuſcumque ſtatus, & conditionis ſint, decernit, intelligendum eſt, matrimonia valida non eſſe quoad effectus civiles, quamvis ratione Contractus, & Sacramenti rata ſint. Hanc Regiæ Conſtitutionis formulam ſic explicant *Feveretus* Lib. 1. *De Abuſu*, cap. 2. & Compilator Probationum Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ tom. 2. pag. 967. Sic explicuerunt Regiorum Sigillorum Cuſtos, & Conſiſtoriani Comites a Rege *Ludovico XIII.* triumphantis memoriæ deputati, cum Gallicani Cleri querimoniis, & ſupplicationi occaſione art. 39. Conſtitutionis a Juſto Rege editæ anno 1629. quo matrimonia inita contra tenorem Bleſenſis Conſtitutionis, *Invalide contracta* cenſeri, ac declarari decernebat, Regis nomine reſponderunt anno 1630.

REGULA XXI.

Lethaliter peccarent contrahentes, qui abſque Diſpenſatione, aut cauſſa legitima Matrimonio jungerentur nullis præmiſſis Denuntiationibus. Similis peccati rei eſſent Parochus, & teſtes, qui ſcientes volentes hujuſmodi Matrimonio intereſſent.

De Denuntiationibus.

Eccleſiæ enim præceptum violarent in re gravi. Id *S. Antonini* verba confirmant 3. p. tit. 1. c. 16. Quamquam multo ante Conc. Trid. ſcripſerit. *In aliquibus locis* (inquit) *non fiant Banna ... Unde in talibus locis, ratione contrariæ conſuetudinis, omiſſionem Bannorum puto non eſſe peccatum: ſed ubi ſervantur, eſſet mortale omittere.* Atqui poſt Trid. Con. ſervantur, ubicumque illud promulgatum eſt; & in Gallis id præterea ſervari jubent Regiæ Conſtitutiones. Omiſſio igitur Denuntiationum abſque diſpenſatione, aut legitima cauſſa, eſt peccatum mortale.

REGULA XXII.

Epiſcopi juſtis de cauſſis unam, vel duas, immo & omnes Denuntiationes remittere poſſunt.

De remiſſione denuntiationum.

Id conſtat ex Tridentinæ Synodi Decreto. *Quod ſi aliquando* (inquit) *probabilis fuerit ſuſpicio, Matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint Denuntiationes, tunc vel una tantum Denuntiatio fiat; vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus, Matrimonium celebretur: Deinde ante illius conſummationem Denuntiationes in Eccleſia fiant; ut ſi aliqua ſubſunt impedimenta, facilius detegantur: niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ Denuntiationes remittantur: quod illius prudentiæ, & judicio S. Synodus relinquit.*

REGULA XXIII.

Soli Epiſcopi, & eorum Vicarii Generales, necnon Vicarii Capituli, Sede vacante non autem Abbates, aut alii Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, Matrimonii Denuntiationes remittere poſſunt.

De remiſſione denuntiationum.

Id enim Juris penes ſolos Epiſcopos eſſe voluit Concil. Trident. & S. Congregatio Concilii Interpres declaravit *Alexandrum* Cardinalium *Farneſium* Commendatarium Abbatiæ Farfenſis, Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentis, carere facultate duas Denuntiationes remittendi, quam ei ex ſpeciali gratia *Gregorius XIII* conceſſit, quoad viveret, Reſponſumque Congregationis approbavit, Ordinarii nomine cap. 1. ſeſſ. 24. Concilii Trid. *De Reformatione Matrimonii*, ſolum Epiſcopum intelligendum eſſe confirmans, ut refert *Fagnanus* in 4. Librum Decretalium, tit. *De Clandeſtina Deſponſatione* cap. *Cum inhibitio*.

Conc. Narbonenſe anno 1609. cap. 22. Denuntiationum prætermittendarum licentiam ab Officialibus concedi vetat. *Matrimoniales* (inquit) *Denuntiationes ſolus Epiſcopus, vel ejus in ſpiritualibus Vicarius Generalis, ex cauſſa bene nota remittat: Officiales vero ſuper illis diſpenſare non attentabunt, cum illud illis prohibitum ſit, prout præſenti Decreto prohibemus.*

REGULA XXIV.

Diſpenſationes, ſeu remiſſiones Denuntiationum Matrimonio præmittendarum, ſine cauſſa gravi, ac juſta concedi non debent; idque gratis; Unde redimendorum (ut vulgo loquitur) Bannorum non probanda conſuetudo.

De remiſſione, & redemptione denuntiationum ſive bonorum.

Concilii Pariſienſis anno 1429. celebrati can. 33. ea de re obſervari expediret. *Epiſcopi* (inquit) *Archidiaconis, & aliis, & quibus de jure, vel conſuetudine competit, injungimus, ne de cetero ita faciliter diſpenſent ſuper Bannis in Matrimonio concedendis, etiam prætextu cujuſcumque pecuniæ, ſicut hactenus diſpenſare conſueverunt.*

Regia Conſtitutio Bleſis edita diſpenſationem ſuper denuntiationibus concedi vetat, niſi poſt primam denuntiationem, ſive proclamationem, idque ex urgenti dumtaxat, & legitima cauſſa, & poſtulantibus præcipuis, proximiſque parentibus contrahentium ... Urgente tamen gravi neceſſitate diſpenſationes omnes hoc etiam in Regno Epiſcoporum judicio remittuntur.

Quæ ſint juſtæ cauſſæ remittendi denuntiationes.

Juſtæ autem hac in re diſpenſandi cauſſæ hæ præcipuæ ſunt: Prima, quam Tridentina Synodus exprimit, *Si probabilis fuerit ſuſpicio, Matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes.*

Secunda, quando ſine infamia contrahentium fieri denuntiationes non poſſunt, cum ſcilicet aliquo impedimento dirimente intercedente, nihilominus contraxerunt, quod matrimonii tempore occultum, poſtea ad Eccleſiæ notitiam perlatum eſt: vel cum in concubinatu vixerunt, & tamen pro veris conjugibus ſunt habiti, legitimoque matrimonio e peccato emergere volunt.

Tertio, quando ſine gravi animæ, aut rerum etiam temporalium diſcrimine, differri Nuptiæ non poſſunt; ut ſi vir ſit in periculo mortis conſtitutus, aut debeat ſubito longum iter ſuſcipere; & neceſſe ſit contrahi connubium, ut ingenuæ mulieris honori conſulatur, & proles jam nata, vel concepta legitima ſiat.

Quarta, cum duobus, ad vitandum peccatum, ſcandalum, vel infamiam, vel periculoſas lites, & vexationes ex parte parentum, aut tutorum, expedit quamprimum nuptias inire; & periculum eſt in mora, ne alterius animus ex levitate, infidelitate, aut aliorum ſuaſionibus immutetur: quæ cauſſa maxime urget, cum ambæ ſimul partes in ſtupro deprehenſæ in matrimonium conſentiunt.

Quinta, quando virgo ſub tutela iniqui tutoris eſt, qui eam viro ignobili, & diſpari tradere vult, aut ſub poteſtate novercæ, quæ vult eam in Monaſterium protrudere.

Sexta, quoties inter contrahere volentes diſparitas eſt, conditionis, ætatis, divitiarum; quando ſcilicet nobilis cum ignobili, pauper cum divite, honeſtæ vitæ cum meretrice, aut infami contrahere vellet matrimonium. Viro enim, qui ſui juris eſt, meretricem lupanari eductam ducere licet uxorem, ut eam a peccato revocet, idque inter opera charitatis non minimum facientibus in remiſſionem peccatorum proficere, reſpondet *Clemens III.* cap. *Inter opera*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*.

Septima, quando Principes contrahunt matrimonium, quod magna cum deliberatione fieri ſolet, ac impedimenta, ſi quæ intercedant, ſatis nota ſunt. Quam cauſſam, ſicut & præcedentem, *S. Anton.* approbat 3. p. tit. 1. cap. 16.

Octava, quando tempus urget, quo Nuptiarum celebratio prohibita eſt, nec tamen differri poſſunt citra grave incommodum, aut animæ periculum, propter eorum, qui contrahere volunt, incontinentiam. Hanc cauſſam approbavit S. Congreg. Conc. Trid. Interpres, teſte *Zerola* in *Praxi Epiſcopali*, verbo *Matrimonium*, Dubio nono. An vero his, & illis perſonis concedenda ſit ob eam rationem diſpenſatio, prudentiæ, ac judicio Epiſcoporum eſt. Paſſim credendam non eſſe, pleriſque priſcæ Diſciplinæ amantibus videbitur, ut *Sancto Carolo Borromæo*, & Concil. Mediolanenſi 5. viſum eſt p. 3. tit. *Quæ ad Matrimonium pertinent*. Sic autem ſtatuit: *Matrimonii Denuntiationes, quas aliquando ab Epiſcopo remitti, Conſtitutione Tridentina permiſſum eſt, is videat, ne ob aliam cauſſam, quam ea ipſa Conſtitutione cavetur, remittat: cum ſcilicet Ordinarii judicio veriſimilis ſuſpicio eſt, Matrimonium malitioſe impediri poſſe. At vero ſi hæc cauſſa non ſubeſt, quamobrem illas remittat, ea certe ſola, quod inſtat Sacri Adventus, Quadrageſimave tempus, neque neceſſaria eſt, nec vero cum ratione conſentiens: cum præſertim eo ſacro tempore, qui jam Matrimonio juncti ſunt, ab illius uſu abſtinere potius conveniens ſit, nedum Sponſos una conjungi.*

Denuntiationes ſine cauſſa legitima remitti non debent.

Conc. Rothomagenſe anno 1581. celebratum tit. *De Matrimonio*, Denuntiationes abſque cauſſa legitima remitti vetat. *Denuntiationes* (inquit) *vel omnino, vel ex parte remitti poſſunt pro ſolius Ordinarii judicio, non tamen abſque cauſſa legitima, & rationi conſentanea, præſertim ſi qua ſit juſtarum oppoſitionum ſuſpicio. Petitur vero frequentius Denuntiationum remiſſio ad cavenda maleficia, quæ in celebratione Nuptiarum nonnumquam exercentur: vel ad declinandam populi inſultantis diu, noctuque, Nuptiis maxime ſecundo, aut tertio repetitis, laſciviam.* Tum cauſſas iſtas legitimas, & rationi conſentaneas non eſſe innuit, alia proponendo remedia contra maleficia, alia media ad inſultus avertendos.

Contra maleficia (inquit) *& ut digne Sacramentum accipiant, hortamur conjuges, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante Matrimonii conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad SS. Euchariſtiæ Sacramentum accedant. Sacerdos vero ne ullum det maleficiis locum, cautius, & circumſpectius in Nuptiarum Benedictione ſe gerat. Nec omittant Parœciarum Rectores, populi circa Nuptias petulantiam, ſub interminatione Excommunicationis, advocato etiam (ſi opus fuerit) brachii ſæcularis auxilio, compeſcere.*

Concil. Turonenſe 1583. cap. 9. *Matrimoniis* (inquit) *clandeſtinis, ut amplius via præcludatur, omnes Epiſcopos ac*

diſpenſationibus de duabus proclamationibus, & extra tempora nubendi, omnino abſtinere monemus, niſi ob cauſſam legitimam, neceſſariam, eiſque cognitam, exiſtimaverint eſſe diſpenſandum: Omnibus aliis perſonis Eccleſiaſticis non Epiſcopis a diſpenſationum hujuſcemodi concedendarum facultate excluſis.

REGULA XXV.

Certis in caſibus, ubi gravis, & aperta neceſſitas urget, nec per temporis anguſtias adiri Epiſcopus poteſt, quia cito elaberetur occaſio, ſine Proclamationibus contrahi poteſt Matrimonium, etiamſi non ſint ab Epiſcopo remiſſæ.

Caſus urgentes, in quibus Matrimonium ſine Denuntiationibus contrahi poteſt.

Id ut fiat certis in caſibus, probat Eccleſia, ut ſi vir ſit in præſenti mortis periculo, velitque ducere concubinam, quæ pro illius conjuge vulgo habebatur, & prolem ex ea ſuſceptam legitimam reddere: vel ſi vir, qui virgini ſtuprum intulit, Auctoritate publica, ſeu Judicis ſententia compellatur ad matrimonium cum illa contrahendum ſtatim poſt cauſſæ cognitionem, ut illius aboleat infamiam.

REGULA XXVI.

Si contrahentes ſint diverſarum Parochiarum, Denuntiationes in utriuſque Parochia faciendæ ſunt. Si diverſarum ſint Diœceſum, Parochus, ſive Epiſcopus eos Matrimonio jungere non poteſt, niſi proclamationes factæ ſint in utraque Diœceſi in propriis Parochiis, ac de illis teſtimonium habeat authenticum, ab Epiſcopo recognitum, & confirmatum; aut legitimam diſpenſationem in ſcriptis conceſſam.

Denuntiationes ubi faciendæ.

Aliter enim Impedimenta cognoſci facile non poſſent, plurimæque ad contrahendum inter ſe illegitimæ perſonæ fallerent Eccleſiam, & Nuptialem Benedictionem ſurriperent. Id confirmat Concil. Aquenſis anno 1585. celebrati, & a *Sixto V.* approbati Decretum, in Tridentini executionem editum, tit. *De Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: *Matrimonii Denuntiationes a Parochis tum demum fiant, cum vir, & mulier eorumve parentes, vel ii, qui puellæ curam habent, id poſtularint. Quod ſi ambo diverſis in Parochis habitant, tum in unius, & alterius item Parochia fiant. Eas autem denuntiationes ne ullas quidem remittere eis liceat, niſi proprii Epiſcopi conſenſu, idque cauſſis Jure permiſſis. Caveant autem Parochi, ne alienæ Parochiæ Sponſum, Sponſamve ante Matrimonio jungant, quam teſtimonium ab illius Parocho, ſi ejuſdem, vel finitimæ, aut non nimis longinquæ Diœceſis ille ſit, ſcriptum acceperit, cujus teſtimonii fide ſibi teſtatum, ſit, ex Trid. Concilii præſcripto Denuntiationes, quæ neceſſariæ ſunt, aut Ordinarii ſui voluntate omiſſas eſſe; aut factas ſiquidem, nullumque legitimum impedimentum ab ullo homine ſignificatum, quo minus tale Matrimonium contrahi liceat. Illud vero teſtimonium, ſi a Parocho alienæ Diœceſis fiat, ab Ordinario loci, aut ab eo, cui hoc ille delegaverit, ſubſcriptione, ac ſigillo comprobatum ſit; ſi vero in Diœceſi, a Vicario foraneo.* Idem ſtatuit Conc. Narbonenſe anno 1609. Atque ita decreviſſe *Paulum V.* in Rituali refert *Chriſtophorus Marcellus*.

REGULA XXVII.

Teſtis unus ad Matrimonium impediendum ſufficit, modo juxta formam Juris Impedimentum teſtificetur.

De teſtimoniis ad Matrimonium impediendum neceſſariis.

Nititur hæc Regula cap. *Super eo*, Ext. *De Teſtibus, & Atteſtationibus*, quod eſt *Alexandri III.* Reſponſum *Matthæo* Cardinali datum. *Super illa Quæſtione*, (inquit) *An mulier conjungenda non ſit viro, pro eo quod ſola mater alterutrius eos eſſe conſanguineos confitetur: Reſpondemus, quod ſi non eſt firmatum Matrimonium inter eos, matre aſſeverante ipſos eſſe conſanguineos, non debent conjungi, quia præſumptio eſt non modica, quod ſe lineæ conſanguinitatis attingant. Si vero Matrimonium eſt firmatum, non debet ſine plurium Juramento diſſolvi.*

Et cap. *Præterea*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, quod Reſponſum eſt ejuſdem Pontificis Epiſcopo ſanctæ Agathæ datum. *De muliere* (inquit) *quæ a viro impetitur, cujus conſanguineus cum ea ſe deliquiſſe proponit, ſed hoc publice confiteri recuſat propter metum, & potentiam mulieris; taliter reſpondemus, ut Matrimonium ipſum fieri (niſi Juramentum interveniſſet) diſtricte prohibeatis, ne deterius inde contingat.* Itaque ſi Juramentum intervenerit, matrimonium prohiberi non debet propter ſecretam unius de impedimento hujuſmodi confeſſionem, niſi aliunde probetur legitimis documentis.

Idem confirmat *Innoc. II.* Epiſcopo Bellovacenſi reſpondens, cap. *Cum in tua*, ſub eodem Titulo.

Forma vero teſtificandi his in cauſſis præſcribitur c. *Tuæ nos*, Ext. *De Conſanguinitate, & affinitate*: Teſtes ſcilicet, qui conſanguinitatem, vel affinitatem teſtificantur, gradus aſſignare debere, nominibus propriis, vel æquipollentibus inditiis deſignando perſonas: & a ſtipite, id eſt, a parentibus, vel germanis incipere debere, ubi de conſanguinitate agitur.

REGULA XXVIII.

Fama publica alicujus Impedimenti Matrimonium contrahendum impedit.

An fama impedimenti Matrimonium ſuſpendere debeat.

Ita declaravit *Urbanus III.* Burdigalenſi Archiepiſcopo reſpondens, cap. *Super eo*, Ext. *De Conſanguinitate, & Affinitate*, cujus hæc ſunt verba: *Super eo, quod juvenem aſſeris puellam quamdam nondum nubilem fide interpoſita deſponſaſſe: quæ jam facta nubilis eum repetit, & ille excipit dicens, ſe non debere eam ducere, pro eo quod poſtquam puellam affidavit eamdem, carnaliter propinquam ipſius cognovit. Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, Quod ſi manifeſtum eſt, juvenem cognoviſſe propinquam prædictæ puellæ: vel ſi non eſt manifeſtum, fama tamen loci hoc habet: Cum eſſet ſponſata tantummodo de futuro, idem ab ejus impetitione debet abſolvi.*

REGULA XXIX.

Teſtimonium de auditu ad Matrimonium impediendum, multo minus ad dirimendum ratione conſanguinitatis, vel affinitatis, non ſufficiet, niſi ſecundum formam Juris feratur.

De teſtimoniis ad Matrimonium impediendum neceſſariis.

Forma illa præſcripta eſt a Concilio Generali Lateran. 4. ſub *Innocentio III.* c. 52. & habetur c. *Licet ex quadam*, Ext. *De Teſtibus*, cujus hæc ſunt verba. *Statuimus, ne ſuper hoc recipiantur de cetero teſtes de auditu, cum jam quartum gradum prohibitio non excedat: niſi forte perſonæ graves extiterint, quibus fides ſit merito adhibenda; & ante litem motam teſtificata didicerint ab antiquioribus quidem ſuis; non utique ab uno, cum non ſufficeret ille, ſi viveret; ſed duobus ad minus: nec ab infamibus, & ſuſpectis, ſed a fide dignis, & omni exceptione majoribus: cum ſatis videretur abſurdum, illos admitti, quorum repellerentur auctores. Nec tamen ſi unus a pluribus, vel infames ab hominibus bonæ famæ acceperint, quod teſtantur, tamquam plures, & idonei teſtes debent admitti; cum ſecundum ordinem ſolitum Judiciorum non ſufficiat unius teſtis aſſertio, etiamſi Præſidiali refulgeat dignitate, & actus legitimi ſint infamibus interdicti.*

Teſtes autem hujuſmodi proprio Juramento firmantes, quod ad ferendum teſtimonium in cauſſa ipſa odio, amore, & timore, vel commodo non procedant, perſonas expreſſis nominibus, vel demonſtratione, vel circumlocutione ſufficienti deſignent; & ab utroque latere ſingulos gradus clara computatione diſtinguant: & in ſuo nihilominus Juramento concludant, ſe accepiſſe a ſuis Majoribus, quod deponunt, & credere ita ſe. Sed nec tales ſufficient, niſi jurati deponant ſe vidiſſe perſonas, vel ſaltem in uno prædictorum graduum conſtitutas pro conſanguineis ſe habere. Tolerabilius eſt enim aliquos contra ſtatuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra ſtatuta hominum ſeparare.

REGULA XXX.

Sponte oblata Juramenta Parentum, contra perſonæ gravis, & fide dignæ denuntiationem, quæ famam, vel ſcandalum probat, prævalere non debent in cauſſis impedimentorum Matrimonii.

De Parentum juramentis in cauſſis Impedimentorum Matrimonii ſponte oblatis.

Hæc Regula nititur c. *Cum in tua*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, quod eſt *Innocentii III.* Reſponſum Bellovacenſi Epiſcopo datum: *Si perſona gravis* (inquit) *cui fides ſit adhibenda, tibi denuntiet, quod hi, qui ſunt Matrimonio copulandi, ſe propinquitate contingunt, & de fama, vel ſcandalo doceat: aut etiam per teipſum poſſis certificari de plano; non ſolum debes Juramenta parentum ſponte oblata non recipere, verum etiam eos, qui ſic contrahere nituntur, ſi moniti induci nequiverint, compellere, ut a tali contractu deſiſtant; vel contra famam hujuſmodi, ſecundum tuæ diſcretionis arbitrium, Juramenta exhibeant propinquorum; Alioquin ſi perſona denuntians non extiterit talis, vel de fama, vel de ſcandalo non poterit edocere; ad deſiſtendum monere poteris, non compellere contrahentes.*

REGULA XXXI.

Qui intra quatuor menſes poſt peractas Denuntiationes Matrimonium non contraxerunt, poſtmodum non poſſunt contrahere, niſi novæ Denuntiationes Epiſcopi arbitrio fiant.

Quando denuntiationes ſint iterandæ.

Sic edixit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum. Immo ſi, Denuntiationibus factis, Matrimonium ultra duos menſes differatur, *Ne idem antea Parochus celebret, quam iterum Denuntiationes ex Concilii Trid. præſcripto fecerit, edixeritve, ſi modo aliud Epiſcopus non conceſſerit*, ſtatuit Conc. Mediolan. 5. Tit. *Quæ ad Matrimonium pertinent*.

REGULA XXXII.

Matrimonium clandeſtinum vim Sponſaliorum non habet. Unde contrahentes nec publica auctoritate, neque a Confeſſariis cogi poſſunt ad contrahendum ſecundum formam Concil. Tri.

An Matrimonium clandeſtinum vim Sponſaliorum habeat.

Nulla enim obligatio nec civilis, nec naturalis oritur ex conſenſu præſtito in matrimonio clandeſtino, quia actus a principio nullus nullum producit effectum: actus autem geſtus contra Legem, quæ ſubſtantiam actus prohibet, nullus eſt (ut Juriſconſulti loquuntur) ac proinde nullam obligationem infert.

Id confirmat Concilium Mediolanenſe 5. P. 3. tit. De Matrimonio. *Qui teſtibus adhibitis* (inquit) *at ſine Parocho aliove Sacerdote, cui is, vel Ordinarius facultatem dederit, Matrimonium de facto contraxerit, ne eos cogi liceat, ut denuo inter ſe contrahant; nec rurſus eo nomine impediri, quominus eorum unuſquiſque cum aliis libere contrahat: cum illud eorum factum, ne Sponſalium quidem, nedum Matrimonii vim habeat.* Atque ita judicavit Sacra Congr. Concilii.

REGULA XXXIII.

Tridentini Concilii Decretum obligat iis omnibus in locis, in quibus eſt promulgatum.

Id conſtat ex ipſo Concilio Seſſ. 24. *De Reformatione Matrimonii*, c. 1. *Hujuſmodi decretum* (inquit) *in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.*

REGULA XXXIV.

Parochus librum habere debet, in quo conjugum, & teſtium nomina, diemque, & locum contracti Matrimonii deſcribat; quem diligenter apud ſe cuſtodiat.

Ita ſanxit Sacra Synodus Tridentina, ibidem: quo Synodi Provinciales poſtea celebratæ executioni mandari juſſerunt.

ARTICULUS III.

De Matrimonio filiorum familias ſine parentum conſenſu.

De Conſenſu Parentum.

PROPOSITIO PRIMA.

Rata ſunt Matrimonia filiorum familias ſine Parentum conſenſu contracta.

ID enim poſtulat libertas matrimonii, de qua Apoſtolus 1. ad Cor. 7. *Cui vult* (inquit) *nubat tantum in Domino*. Quod etſi de vidua dictum eſt, pari tamen ratione de omnibus aliis utriuſque ſexus nubentibus eſt intelligendum, ut ibidem innuit: *Dico* (inquit) *non nuptis, & viduis, Bonum eſt illis ſi ſic permanſerint, ſicut & ego: quod ſi non ſe continent, nubant*, cui ſcilicet placuerit. Quod & Veteris Teſtamenti ſcriptura docet Gen. 24. ubi *Rebeccæ* parentes ajunt: *Vocemus puellam, & quæramus ipſius voluntatem*. Et Num. ultimo, de filiabus *Salphaad* dicitur: *Nubant, quibus volunt, tantum ut ſuæ Tribus hominibus.*

Id & recta ratio ſuadet. In iis enim eligendis, & conſtituendis, quæ ad totius vitæ ſtatum pertinent; cujuſmodi ſunt Matrimonium, vel Continentia perpetua, Vitaque Monaſtica, liber quiſque eſt, nec alicui ſubditus niſi Domino Deo... In diſciplina ſcilicet domeſtica, & moribus alter alteri præeſſe poteſt, non autem in his, quæ ad naturam pertinent, aut eam conſequuntur, ut eſt generatio prolis. Quamobrem mutuo contrahentium conſenſu inter perſonas legitimas perfici matrimonium Canones ſtatuunt, cap. *Cum locum*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, c. *Licet*, &c. *Tua*, Ext. *De ſponſa duorum*.

Id confirmat *S. Ambr.* Lib. 1. *de Virginibus*, c. 10. *Si hominem vellent amare filiæ veſtræ* (inquit) *per Leges poſſent eligere, quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet; Deum non licet?* Et Lib. *de Virginitate*, c. 5. *An indignum videtur, ut ſacratæ Virgines a ſacroſanctis Altaribus non abducantur ad Nuptias? Et quibus licet Sponſum eligere, non abducantur ad Nuptias? Et quibus licet Sponſum eligere, non licet Deum præferre?*

Idem confirmat *S. Aug.* ep. 254. alias 223. ad *Benenatum*, de puella quadam ſcribens nondum viro matura, de cujus Matrimonio jam agebatur. *Fortaſſis* (inquit) *quæ nunc non apparet, apparebit, & mater, cujus voluntatem in tradenda filia, omnibus, ut arbitror, natura præponit: niſi eadem puella in ea jam ætate fuerit, ut jure licentiore ſibi eligat ipſa quod velit.*

Rata ſunt.

Id docet *S. Th.* 2. 2. q. 104. art. 6. *Tenetur* (inquit) *homo homini obedire in his, quæ exterius per corpus ſunt agenda: in quibus tamen ſecundum ea, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, ſed ſolum Deo: quia omnes homines natura ſunt pares; puta, in his quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem. Unde non tenentur nec ſervi dominis, nec filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo, vel Virginitate ſervanda, aut aliquo alio hujuſmodi.* Conjugium certe ſervorum invitis dominis ratum eſſe, nemo diffitetur, ut habetur c. *Dignum eſt*, Ext. *De conjugio Servorum*. Multo magis ergo matrimonia filiorum familias invitis parentibus rata ſunt: ſiquidem major eſt ſervorum ſubjectio reſpectu dominorum, quam filiorum reſpectu parentum.

Itaque Sancta Synodus Tident. ſeſſ. 42. *De Reformatione Matrimonii*, c. 1. jure damnandos illos cenſuit, *Ut eos Anathemate damnat, qui falſo affirmant, Matrimonia a filiis familias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe.*

Anathema illud Trid. Concilii Lutheranos, & Calvinianos Hæreticos ferit, qui pertinaciter aſſerebant, matrimonia filiorum familias ſolo parentum diſſenſu, aut conſenſu irrita, vel legitima eſſe Jure Naturali, & Divino, nulloque habito reſpectu ad Leges Eccleſiæ.

Quid Leges Principum hac in cauſa poſſint.

Legibus quidem Romanis irrita fuiſſe conjugia filiorum familias invitis parentibus contracta, pleræque Digeſti, & Codicis Leges probant, Tit. *De Ritu Nuptiarum*, & *Juſtinianus* Lib. 1. *Inſtitutionum*, cap. 10. *De Nuptiis*; ſed irrita dumtaxat declarare potuerunt quoad civiles effectus, non autem quoad ſubſtantiam, & quoad rationem Contractus & Sacramenti. Sane Jus Romanum intellexit *Paulus* Juriſconſultus Lib. 2. Sentent. Tit. 14. ſcribens: *Eorum, qui in poteſtate patris ſunt, ſine voluntate ejus Matrimonia Jure non contrahuntur; ſed contracta non ſolvantur: contemplatio enim publicæ utilitatis privatorum commodis præfertur.* Idem confirmat Formula 16. inter illas, quas Illuſtris *Bignonius* ſub hoc Titulo edidit, *Formulæ veteres ſecundum Legem Romanam*, quæ ſic habet: *Viventibus patribus, inter filios familias, ſine voluntate eorum, Matrimonia non legitime copulantur, ſed contracta non ſolvuntur.* Si ergo pater juſtam rationem habuit non probandarum hujuſmodi Nuptiarum, injuſtæ Nuptiæ, injuſta uxor, injuſti liberi. *Nulla dos, nulla uxor*, ut *Juſtinianus* ait, in *Inſtit. De Nuptiis*. Non tamen diſſolvitur matrimonium, etiam Jure Civili Romano, ut explicant inſignes, & eruditi Juriſconſulti *Cujacius, in Lib. 35. Pauli ad Edictum ad L. 2. & 10. De Ritu Nuptiarum*, & *Dionyſius Godefridus in L. Filius ff. de Ritu Nuptiarum.*

Regum Chriſtianiſſimorum edicta.

Nec aliter intelligenda ſunt Regum Chriſtianiſſimorum Edicta, quæ Matrimonia filiorum familias invitis parentibus *Invalide contracta* declarant, invalide (inquam) quoad effectus quoſdam civiles, non quoad rationem Sacramenti, ſive quoad ſubſtantiam Contractus, qui materia Sacramenti proxima eſt, ut conſtat ex *Henrici II.* Conſtitutione Pariſiis edita anno 1566. ex Conſtit. *Henrici III.* Blæſis edita, anno 1579. a. 41. Conſtitutionibus *Ludovici XIII.* editis anno 1629. & 1639. quibus quidem ab omni hæreditate repelluntur filii-familias, qui parentibus invitis matrimonium contraxerint, omnibuſque juribus, & commodis, vi matrimonialium contractuum, & teſtamentorum, Legumve, aut Conſuetudinum Municipalium beneficio illis alias quærendis, cum ipſi tum eorum filii, & nepotes in perpetuum privantur: ſed matrimonii ſic contracti ſubſtantiam, firmitatem, rationemque Sacramenti non attingunt, ut Regis nomine Clero Gallicano reſponderunt Illuſtriſſimi Commiſſarii ab ejus Majeſtate Deputati anno 1629. utque oſtendit Doctiſſimus Præſul *Iſaacus Habertus* Epiſcopus Vabrenſis, in Lib. *De Juſtitia Connubialis Edicti*, a Juſto Rege *Ludovico XIII.* conditi; quo inauſpicatum quemdam libellum, qui ſub nomine Optati Galli, *De cavendo Schiſmate*, in lucem prodierat, refellit, Edictique Regii æquitatem contra larvatum Auctorem egregie defendit. *Non multum* (inquit) *laborandum eſt de conciliandis Regiis edictis cum Eccleſiæ ſententia: nullo ſiquidem umquam Edicto Matrimonia filiorum familias invalida, ac nulla eſſe abſque conſenſu parentum tutorumve conſtitutum eſt, etſi hic error multis impoſuerit; prohibita quidem ſunt, ſed invalida, & nulla eſſe, haudquaquam definitum. Unde etiam Deceſſorum ſuorum veſtigiis inſiſtens Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus, ea iterum prohibuit, ac auſterius interdixit: invalida tamen, ac nulla eſſe contra Tridentinæ Synodi Decretum, ac Theologorum unanimem etiam in Regno ſuo ſententiam minime ſanxit.*

Et infra. *Intelligendum eſt, illud omne, quod in Matrimonio Juris Divini poſitum eſt, Sacramentale eſſe, proindeque ad Eccleſiam ſpectare, quæ Divini Juris cognitionem interpretationemque abſolutiſſimam ſola in terris erroris, culpæque expers, Columna, & firmamentum veritatis exercet. Unde tamquam Divini Juris Interpretis, ac Oraculi, de veritate, validitate, ſubſtantia, cauſſis, partibus, contractu, conſenſuque, ut materia, & forma, conditionibus, effectiſque Sacramenti Matrimonii decernere, unius Eccleſiæ eſt. Id fidei caput eſſe; nemo dubitat Orthodoxus. Ex his omnibus Chriſtianiſſimus Princeps, ſi quid in Edicto ſuo attigit, illud non ut ex ſui, ſed Divini, vel Eccleſiaſtici Juris Conſtitutione præjudicatum expreſſit. Verum alia ſunt ad Matrimonium pertinentia, quæ Sacramentum ipſum non componunt, aut efficiunt; ſed antecedunt, comitantur, aut conſequuntur, ut reverentia, ac metus parentum, publicæ Legis, & conſuetudinis obſervantia, familiæ decus, & ornamenta, honeſtatis, & pudoris ſalus, famæque ſollicitudo, pactorum integritas, rerum, & fortunarum conſervatio, hæreditatum, ac Succeſſionum jura, aliaque id genus quam plurima, quæ Principem tamquam boni publici inſpectorem, arbitrum, vindicemque reſpiciunt. Ea vero ſunt de quibus non ſub nullitate (ut inquiunt) aut Juris Divini Canonicique pœnis, ſed Civilis plane Juris dicendi forma, Rex Juſtiſſimus Edicto ſuo cavit, cavere potuit, ac debuit.*

BRO-

PROPOSITIO II.

Eccleſia Canonem condere poteſt, quo irrita reddantur Matrimonia filiorum familias ſine Parentum conſenſu contracta.

Poteſtas Eccleſiæ in Matrimonia.

CUM enim fide certum ſit, Eccleſiam impedimenta Matrimonii conſtituere poſſe; cumque clandeſtina antea rata, deinceps irrita fore declaraverit; minime dubitandum eſt, quin eodem jure potuerit Matrimonia filiorum familias, repugnantibus parentibus contracta, irrita declarare. In Eccleſia Græca hæc olim Diſciplina viguit, ut compertum eſt ex Ep. *S. Baſilii* ad *Amphilochium*, can. 24. cujus hæc ſunt verba: *Quæ ſine iis, qui habent poteſtatem, fiunt Matrimonia, ſunt fornicationes. Nec ergo vivente patre, nec domino, ii, qui conveniunt ſunt ab accuſatione liberi, donec conjugio domini annuerint. Tunc enim accipit firmitatem conjugium.* Ad tempus uſque Schiſmatis, & deinceps hanc Diſciplinam in Eccleſia Græca viguiſſe, conſtat ex Nomocanone *Photii*, Lit. 13. c. 9. ex *Balſamone*, qui Nomocanonem commentatus eſt, & ex Jure Græco Romano To. 1. p. 205. & To. 2. p. 101.

Vetus Eccleſiæ Græcæ diſciplina.

Diverſa Eccleſiæ Latinæ diſciplina.

Ceterum hanc in Eccleſiam Latinam admittendam non eſſe judicavit Sacra Synodus Tridentina, ne Matrimonii libertatem minueret, & quia contingit interdum, ut filii parentibus ſint prudentiores. Deinde, quia parentes quandoque ſunt perverſæ, aut ſuſpectæ Religionis, quos proinde veriſimile eſt uxorem filio quæſituros, ſive filiæ maritum, per quos a Catholica Religione avocentur. Tertio, quia contingit parentes eſſe ſordide avaros, qui ne dotem numerare cogantur, filiarum Nuptias procraſtinant, magno ſalutis earum detrimento; aut certe filiis uxores quærunt dote divites magis quam bonis moribus ornatas: aut imparibus, & indignis conjugiis filios, & filias copulare volunt, aut iis dare, quos non diligunt. Ex quibus omnibus quanta mala oriantur, nemo non videt. Quarto, quia contingit interdum, ut liberos etiam invitos in Monaſterium detrudere velint, numquam in eorum Nuptias conſenſuri. Poſtremo, quia multi ſunt filii extra parentum poteſtatem conſtituti, ut vidui, ac viduæ, vel quocumque modo emancipati, & qui in regionibus a parentibus longe diſſitis degunt, vel qui ætate, ac rerum peritia multum ſunt provecti, parentibus ipſis, vel dudum mortuis, vel præ ſenio delirantibus. Quos omnes ea lege conſtringi, ut ſine parentum, vel propinquorum conſenſu Matrimonia filiorum rata non eſſent, minus æquum fore judicavit Sacra Synodus.

Ejus rationes.

PROPOSITIO III.

Lethaliter peccant filii familias, qui parentibus inconſultis, vel juſta ex cauſſa repugnantibus, & invitis, Matrimonium contrahunt.

Quam grave peccatum filiorum inconſultis, aut invitis Parentibus nubentium.

ID enim vetat Divina Lex de honore, & obſervantia parentum lata. Hinc illi, quos Scriptura Sacra commendat, fere non leguntur inconſultis Parentibus uxores accepiſſe. Nam de Iſaac, & Jacob Patriarchis clare Scriptura teſtatur, quod parentum conſiliis, & voluntati in ducendis uxoribus fuerint obſecuti, *Gen.* 24. & 28. Samſon ſine conſenſu parentum mulierem, quam valde amabat, ducere noluit. *Judicum* 14. Tobias quidem uxorem duxit inconſulto patre; verum id fecit longe remotus a parentibus, & ejus conſilio, cui tamquam duci, ac moderatori fuerat a patre commendatus, nec dubitans quin ratum habiturus eſſet pater, quod illius conſilio a ſe factum eſſet. Id denique fecit Deo intus inſpirante, qui exterius ipſi per Angelum ſuum loquebatur. Ad hæc, *Exodi* 34. & *Deuteronomii* 7. præceptum de conjugio filiorum parentibus potius datur quam filiis? ne videlicet cum Chananæis jungantur: *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis ∴ Non inibis cum eis fœdus, neque ſociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Iſraelitis Babyloniam translatis (*Jeremiæ* 24.) præcepit Deus: *Date filiis veſtris uxores; & filias veſtras date viris*, &c. Id confirmat *S. Paulus* 1. ad Cor. 7. *Igitur & qui Matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.*

Huic Propoſitioni robur addit Patrum auctoritas. *Tertulliani* Lib. 1. *ad uxorem*, ſcribentis: *Nam nec in terris filii ſine conſenſu Patrum recte, & jure nubunt.*

S. Ambroſii Lib. 1. *De Abraham*, c. ultimo, ubi de Rebecca loquens: *Conſulitur* (inquit) *puella non de ſponſalibus, nam illa judicium expectat parentum; non eſt enim virginalis pudoris eligere maritum. Unde illud Euripideon, quod mirantur plerique, unde translatum ſit, manifeſtum eſt*: Sponſalium quidem meorum pater meus curam ſubibit; hoc enim non eſt meum: *Ergo quod & ipſi Philoſophi mirati ſunt, ſervate Virgines. Sed etiam mulieres, ſi qua amiſſo cito marito adoleſcentula, laqueum infirmitatis ſuæ timens incidere, ut ſi vult nubere, nubat tantum in Domino, et electionem mariti parentibus deferat.*

Euripides in Andromacho.

S. Leonis, Ep. ad *Ruſticum* Narbonenſem Epiſcopum: *Paterno* (inquit) *arbitrio viris juncta carent culpa*, &c.

Idem confirmant Canones. Canon *Aliter*, ſub *Evariſti* Papæ nomine relatus Cauſſa 30. q. 5. & in Lib. 7. Capitularium, c. 463. tranſcriptus: *Aliter* (inquit) *legitimum non ſit conjugium, niſi ab his, qui ſuper ipſam feminam dominationem habere videntur, & a quibus cuſtoditur, uxor petatur, & a parentibus, & propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur. Taliter enim & Domino placebunt, & filios non ſpurios, ſed legitimos atque hæreditabiles generabunt.*

Canon, *Videtur nobis*, ſub *Cæleſtini* Pontificis nomine relatus Cauſſa 35. q. 6. verius *Clementi III.* tribuendus. Ext. *Qui Matrimonium accuſare poſſunt*, parentes, fratres, & cognatos utriuſque ſexus in teſtificationem ad Matrimonium ſuorum conjungendum, vel dirimendum admitti jubet, ſecundum antiquam conſuetudinem, & ſecundum Leges. *Qui enim* (inquit) *melius recipi debent, quam illi, qui melius ſciunt, & quorum eſt intereſſe, ita ut ſi non interfuerint, & conſenſum non adhibuerint, ſecundum Leges nullum fiat Matrimonium?*

Hormiſdas Pontifex, Can. *Tua ſanctitas*, cauſſa 31. q. 2. *Poteſt* (inquit) *de filio nondum adulto, voluntas cujus nondum diſcerni poteſt, pater eum, cui vult, in Matrimonium tradere: & poſtquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, omnino obſervare, & adimplere debet. Hoc ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus ſancitum a nobis tenendum mandamus.* Puellam, cujus pater ſervus erat, non illius, ſed avi liberi, qui paternæ poteſtatis jura in ipſam conſervabat, conſenſum ad ineundum Matrimonium obtinere debere, reſpondet *Pelagius* Papa, Canone *Patrem*, Cauſſa 32. q. 4. *Et ideo* (inquit) *Avi magis electionem de conjunctione Neptis, quam Patris ejus, cujus nullo modo liberum poteſt eſſe arbitrium, decernimus attendi.*

Nicolaus I. in Reſponſis ad Conſulta Bulgarorum, Matrimonia celebranda eſſe ſcribit, *Conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt.*

Alexander II. apud *Ivonem Carnutenſem* P. 3. Decreti, c. 17. Juvenem quemdam, qui Juramento ſe obſtrinxerat ad concubinam ſuam, eamdemque conſanguineam, ducendam in uxorem, reum eſſe ſcribit adulterii, inceſtus, perjurii. Probat autem reum eſſe perjurii, quia *Quod obſervare legaliter non potuit ſine judicio Parentum, vel Judicum, temere jurare præſumpſit.*

Conc. Aurelianenſe 4. anno 541. celebratum, Can. 22. matrimonium contra Parentum voluntatem impie contrahi aſſerit. Can. ſcilicet 22. ſtatuit: *Ut nullus per imperium Poteſtatis, filiam competere audeat alienam; ne conjugium quod contra parentum voluntatem impie copulatur, velut captivitas judicetur. Sed ſicut eſt prohibitum, non admittatur; & his, qui perpetraverint, Excommunicationis ſeveritas pro modo piaculi imponatur.*

Concilium Pariſienſe 6. anno 557. Can. 4. ſtatuit, *Ut nullus viduam, neque filiam alterius, contra voluntatem Parentum, aut rapere præſumat, aut Regis beneficio æſtimet poſtulandam. Quod ſi fecerit, ſimiliter ab Eccleſiæ Communione ſemotus, Anathematis damnatione plectatur.*

Concilium Turonenſe 2. anno 567. Can. 20. Virginum Deo ſacratarum, & Viduarum, quæ poſt mutatam veſtem nupſerint, inanes excuſationes refellens; trium Franciæ Regum Edicta illis opponit, quibus vetitum erat, ne quis puellam ſine parentum conſenſu in uxorem duceret. *Et excludatur* (inquit) *excuſationis adinventio, quam modo aliqua dicere meditantur, quod propterea ſe veſte mutaverint, ne eas inferiores perſonæ macularent: cum non ſolum Domini glorioſæ memoriæ Childebertus, & Clotharius Reges conſtitutionem Legum de hac re cuſtodierint, & ſervaverint, quam nunc Dominus Charibertus Rex ſucceſſor eorum Præcepto ſuo roboravit, Ut nullus ullam puellam abſque parentum voluntate trahere, aut accipere præſumat. Quæcumque ergo timet violentiam, & non vult habere maritum, refugiat ad Eccleſiam; donec propinqui poſſint eam Principis imperio, aut Sacerdotis, vel Eccleſiæ beneficio liberare, & defenſare, ac condigno ſociare Marito.*

Et cap. 455. Lib. 7. Capitularium, *De qualitate virginis in conjugio*, inſcriptum, ita ſtatuit. *Sciſcitandum eſt, ſi vult pater virginis, quia caput mulieris vir. Requirenda eſt a patre voluntas virginis, cum Deus relinquat hominem in manibus conſilii ſui.*

Concilium Colonienſe anno 1536. celebratum, Tit. *De Adminiſtratione Sacramentorum*, cap. 43. *Optandum* (inquit) *ut Canon Evariſti Pontificis Concilio Generali renovetur, tollanturque illa clandeſtina Matrimonia, quæ invitis parentibus, ac propinquis, Veneris potius quam Dei cauſſa contrahuntur. Nam quanta ex his clandeſtinis Matrimoniis mala ſuboriantur, in aperto eſt. Interea vero donec Eccleſia de hoc proſpiciat, ſi non irrita, prohibita ſaltem ſint, & pœnæ canonicæ, hoc eſt, Excommunicationi, Contrahentes & qui his ope, aut conſilio adfuerint, ſubjaceant: quam nec tam facile, niſi Eccleſiæ ſatisfiant, tolli, admodum expedire nobis videtur. Quantum fieri poteſt, cavebit Parochus, ne liberos citra parentum auctoritatem conjungat. Quod ſi parentes negligentes fuerint, aut in admittendo Matrimonio jam contracto rigidiores; negatores admonebit eos, ut liberos maturæ ætatis elocent, neve vinculo jam per Eccleſiam indiſſolubili pertinacius oblectentur.*

RE-

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

Nullatenus in Galliis Parochi filios familias minores triginta annis, & puellas minores annis viginti quinque completis Matrimonio conjungere debent invitis parentibus, ſed eorum conſenſum in ſcriptis exigere tenentur.

De conſenſu Parentum. Regum Chriſtianiſſimorum Conſtitutiones.

ITa ſancitum eſt Regum Chriſtianiſſimorum *Henrici II. Henrici III. Ludovici XIII.* Conſtitutionibus, quibus parere tenentur omnes, & ſinguli Regis Galliæ ſubditi, ſiquidem juſtiſſimæ ſunt, ad promovendam nempe pietatem, & filiorum erga parentes obſervantiam, divina Lege præſcriptam, ordinatæ. Quamobrem illis neceſſario parendum eſt, *Non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*; (ut Apoſtolus monet.) Nec movere debet, quod poſſet quis cauſſari incontinentiæ periculum, ut Leges illas conſcientiam non ligare exiſtimemus. Eadem enim ratione ſequeretur, Leges ab Eccleſia latas conſcientiam non obligaſſe. Suis enim Legibus prohibuit olim Eccleſia publice Pœnitentibus, ne Matrimonium contraherent, ut conſtat ex Concilio Arelatenſi 2. can. 21. Toletano 6. can. 8. & aliis pleriſque Synodis. Inceſtus reis ſpem omnem conjugii obſtulerunt Concilium Vermerienſe Canonibus 2. 10. 11. 12. & 18. Compendienſe Canonibus 8. 10. 14. & 15. Moguntinum can. 56. Triburienſe Canonibus 43. 44. & 45. qui Canones in Regum noſtrorum Capitularibus promulgati, vim publicæ Legis in Judiciis etiam Civilibus habuerunt. Eum, qui Epiſcopum occidiſſet, abſque ſpe conjugii perpetuo manere decrevit Concilium apud *Theodoniſvillam* c. 4. Idem ſtatutum eſt de illis, qui Presbyterum, Diaconorum, vel Monachum interfeciſſent, Libr. 6. Capitularium, c. 98. quod in ſua Collectione tranſcripſit *Iſaac* Lingonenſis Epiſcopus Tit. 2. c. 9. & Conc. Troslejanum Canoni ſuo 13. contra homicidas edito, inſerunt. Viduis Subdiaconorum, Exorciſtarum, Acolythorum ſecundas nuptias interdixit Concilium Matiſconenſe ſecundum, canone 16. Viduis Presbyterorum, & Diaconorum idem prohibet Concilium Antiſiodorenſe, can. 22. Puellæ, quæ raptori conſenſerat, perpetuam continentiam indixerunt Regum noſtrorum Capitularia, Epiſcoporum conſilio edita, & ab Eccleſiis illorum Imperio ſubditis olim recepta, & obſervata, Lib. 6. cap. 96. *Ipſa namque, quæ rapitur, ſi aut primo, aut poſtmodum tam nefario ſceleri libens conſenſerit, numquam poſtea nubat, ſed publica Pœnitentia mulctetur, & ſub tali cuſtodia ponatur, ut ei nullatenus luxuriari cum quoquam liceat.* Quod caput *Iſaac* Lingonenſis Epiſcopus Titulo Collectionis ſuæ undecimo refert. Quis dicere audeat has Eccleſiæ, Principumque Concordantes Leges conſcientias eorum, quibus latæ erant, non obligaſſe? Et tamen incontinentiæ periculum cauſſari poterant. Sed hæc excuſatio non movebat Eccleſiam, cui certum erat, Deum gratiam continentiæ illis non negare, qui illam a Deo poſtulant, ut oportet. Nam *Fidelis Deus eſt* (inquit Apoſtolus 1. Cor. 10. 13.) *qui non patietur vos tentari ſuper id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* Qua Sententia innititur Concilii Trid. Seſſionis 24. can. 9. *Si quis dixerit, poſſe omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum; Anathema ſit; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari.*

Quod ſi quædam incommoda ex his Legibus ſequantur in paucioribus, quæ Legum omnium humanarum conditio eſt, majori certe, & publica utilitate compenſantur; familiarum, adeoque & Reipublicæ commodis, & pace, clandeſtinorum conjugiorum, & quæ Veneris potius, quam Dei cauſſa contrahuntur, extirpatione. Parentes tamen in filiorum, & filiarum ſuarum collocatione, ſive Matrimoniis permittendis, quando convenientia ſunt, difficiles, & moroſos monere, & adhortari poſſunt, & debent Epiſcopi, & Parochi, ne paterna poteſtate, Legumque beneficio abutantur.

REGULA II.

Qui patre, & matre ſunt orbati, & præſcriptam Regiis Conſtitutionibus ætatem nondum attigerunt, non ſunt Matrimonio conjungendi, niſi Tutorum, & Curatorum conſenſus appareat.

De conſenſu Parentum, vel tutorum.

Sic edixit *Henricus III.* Rex Chriſtianiſſimus Conſtitutionis Bleſenſis art. 12. quæ *Ludovici XIII.* Edicto confirmata eſt: Nec immerito, cum tutores, & curatores vice parentum conſtituti, adoleſcentiam, & primam juventutem pupillorum, conſilii ut plurimum inopem, ac præcipitem ob ferventes cupiditates, novitiorum cordium lubricam in laqueos amoris propenſionem, dirigere debeant, ac moderari. Quare peccati lethali rei eſſent pupilli, qui abſque tutorum, & curatorum conſenſu matrimonium contraherent.

REGULA III.

Parochi filios, & filias, qui præſcriptam Regiis Conſtitutionibus ætatem attigerunt, conjungere Matrimonio non debent, niſi conſilium parentum ſcripto illos rogaſſe conſtet.

Ita ſancitum eſt Regia Conſtitutione Bleſenſi, & Edicto *Ludovici XIII.* Filii, qui huic erga parentes officio defuerint, ab hæreditate excludi poſſunt parentum ipſorum arbitrio; ipſoſque contra Legem divinam lethaliter peccare, minime dubium eſt, cum in re tanti momenti, ex qua totius vitæ ſtatus pendet, conſilium parentum exquirere contemnant, quo in officio maximum eſt reverentiæ, & obſervantiæ in parentes a Deo præceptæ, argumentum.

REGULA IV.

Matrum, quæ ad ſecundas Nuptias convolarunt, conſilium ſatis eſt, ut rogent filii, nec earum conſenſum tenentur expectare.

Ita ſancitum Regia Conſtitutione *Henrici II.* ab *Henrico III. & Ludovico XIII.* confirmata.

REGULA V.

Quamvis parentes in Galliis filios, qui abſque illorum conſenſu Matrimonium contraxerunt, exhæredes Teſtamento declarare poſſint, Donationeſque omnes in eorum favorem factas revocare; neque illis neganda ſint Sacramenta, qui ſolo Juſtitiæ ſtudio, ad exemplum aliorum, & ut pœna iſta filiis proficiat ad emendationem, & ſalutem, id præſtiterint; pietas tamen poſtulat, ut Epiſcopi, Parochi, & Confeſſarii parentes filiis placare, & reconciliare conentur, illiſque perſuadere, ne ſecundum Legum ſeveritatem in ipſos agant.

Omnia enim, quæ licent, non ſemper expediunt: & *S. Ambroſii* modum agendi cum *Siſinnio*, quo invito filius uxorem duxerat, Sacerdotes imitari decet. Patrem filio jure iratum agnovit *S. Ambroſius*, filium ad officium revocavit, & ad veniam rogandam adduxit, patrem conciliavit filio, ejuſque, ac nurus benevolam ſuſceptionem *Siſinnio* gratulatus eſt Ep. 83. *Quod* (inquit) *filio noſtro remiſiſti meo rogatu, quia te inconſulto uxorem acceperat, pietati magis tribuo, quam noſtro amori; plus eſt enim pietatem ipſam de te impetraviſſe, quam cujuſque petitionem. Certe Sacerdos tunc magis impetrat, cum virtus prævalet; Sacerdotis enim petitio, doctrina pietatis eſt. Impetravit igitur natura, impetravit filius eo plenius, quia poſtulati contemplatio temporalis ſolet eſſe: virtutis autem diuturnus habitus, & jugis animorum inductio. Pulchre itaque geſtum, ut te patrem recognoſceres: ſimul quia juſta indignatio fuit; malo enim culpam fateri, ut plus laudetur paterna indulgentia: ſed & ipſa paterna offenſio fuit, quoniam venaturam in locum filiæ tuo debuiſti eligere judicio, cui fieres pater. Namque aut natura filios ſuſcipimus, aut electione; in natura caſus eſt, in electione judicium: magiſque in adoptatis offendimus, quam in genitalibus filiis; qia genitales filios eſſe degeneres, ad naturam refertur: adjicitos vel adoptione, vel copula dedecores eſſe, noſtro errori adſcribitur. Fuit ergo, quod ſuccenſeres filio, ſed fuit etiam quod remitteres; quia ſibi uxorem elegit. Acquiſiſti filiam ſine electionis periculo. Si bonam duxit, tibi acqiſivit gratiam: ſi erravit, recipiendo meliores facies, refutando deteriores. Maturiore quidem conſilio puella filio a patre traditur: ſed majore obſequii propoſito a filio ad patrem ducitur, & a viro lecta ingreditur ſoceri domum: dum metuit & filius diſplicere judicium ſuum, & nurus miniſterium. Illam paterna electionis prærogativa attollit, atque erigit; iſtam offenſionis humiliat metus, inclinat verecundia. Nam habebit filius, quod in uxorem referat, quaſi exſors culpæ, ſi quid fortaſſe offenſum ſit, quod habet uſus; immo amplius elaborabit, ut in utroque ſuum poſſit probari & in uxore judicium, & in ſe obſequium. Feciſti igitur, quod boni parentes, ut cito ignoſceres, ſed obſecratus; nam antequam rogaveris, non erat ignoſcere, ſed factum probare. Deinde diutius differre veniam, & tibi acerbum, & illis inutile; neque enim paterna viſcera diutius tolerare poſſent.*

De juſta pœna filiorum invitis parentibus nubentium.

Parochorum, & Confeſſariorum officium his in cauſſis.

CAPUT III.

De Sponſalibus.

I. SPonſalia a ſpondendo dicta ſunt. Veteres enim futuras ſibi conjuges ſtipulabantur, & ſpondebant: Unde ſponſi, & ſponſæ nomen derivatum eſt. Nam, (ut obſervat *S. Thomas*, in 4. Sent. diſt. 27. qu. 2. art. 1. ad ſextum:) *In Matrimonio poteſt conſiderari ipſa conjunctio Matrimonialis, & actus ejus; & a ſponſione primi in futurum dicitur ſponſus a Sponſalibus contractis per verba de futuro: & a ſponſione ſecundi dicitur aliquis ſponſus etiam, quando contractum eſt Matrimonium per verba de præſenti. Quia ex hoc ipſo ſpondet Matrimonii actum: tamen a prima ſponſione*

ſione dicuntur Sponſalia proprie, quæ ſunt quædam Sacramentalia Matrimonii, ſicut Exorciſmus Baptiſmi.

Sponſaliorum definitio.

II. *Sponſalia* definiuntur, *Promiſſio futurarum Nuptiarum.* Quæ promiſſio vera, & ſincera, non ſimulata, libera, reciproca, & ſignis exterioribus expreſſa eſſe debet. Sponſaliorum libertati adjectio pœnæ repugnat, ut declarat *Greg. IX.* cap. *Gemma*, Ext. *De Sponſalibus.*

Quibus modis Sponſalia contrahuntur.

Variis autem modis Sponſalia contrahuntur, ſcilicet re, verbis, litteris, & conſenſu: Re, per nudam ſubarrhationem, vel annuli immiſſionem: verbis, ſi inter virum, & mulierem promiſſio futuri Matrimonii interceſſerit, veluti altero alteri vice mutua dicente: Ego te accipiam in meum maritum, & Ego te accipiam in meam uxorem, ſive in hunc ſenſum verba ſimilia protulerint. Litteris, cum abſentes inter ſe de futuris Nuptiis paciſcuntur per epiſtolam, per nuntium, vel procuratorem. Conſenſu denique contrahuntur ſponſalia, cum pubes, & impubes, vel duo impuberes, non proximi pubertati, & in quibus malitia non ſuppleat ætatem, Matrimonium per verba de præſenti contrahunt. Licet enim verba Matrimonium in præſens ſignificent, Juris tamen interpretatione in Sponſalia de futuro reſolvuntur. Cenſuerunt enim Juris conditores, eos, qui cum non poſſent, conjugium de facto contraxerunt, voluiſſe etiam, in caſu, quo poſſent, contrahere: ideoque ſaltem conventionem vim habere Sponſaliorum, cap. *Si infantes*, Tit. *De Deſponſatione impuberum*, in Sexto.

Rurſus contrahuntur Sponſalia, aut pure, aut adjecta die, aut ſub conditione. Pure, cum vir, & mulier ſe invicem futuros conjuges profitentur. Adjecta die, cum quis intra certum temporis ſpatium aliquam ſe ducturum in uxorem ſpondet. Sub conditione, cum quis, ſi quid fiet, vel contigerit, Nuptias ſe contracturum pollicetur.

Paullo aliter *S. Th.* in 4. Sent. diſt. 27. q. 2. a. 1. *Conſenſus* (inquit) *in conjugalem copulam per verba de futuro, non facit Matrimonium, ſed matrimonii promiſſionem. Et hæc promiſſio dicitur Sponſalia, a ſpondendo .... Fit autem dupliciter; ſcilicet abſolute, & ſub conditione. Abſolute quatuor modis. Primo, nuda promiſſione, ut cum dicitur,* Accipio te in meam, *& e contrario: Secundo, datis arrhis ſponſalitiis, ut pecunia, vel hujuſmodi. Tertio, annuli ſubarrhatione. Quarto, interveniente juramento. Si autem fiat dicta promiſſio ſub conditione, diſtinguendum eſt: quia aut eſt conditio honeſta, cum dicitur,* Accipiam te ſi parentibus placeat; *& tunc ſtante conditione ſtat promiſſio; & non ſtante, non ſtat: aut eſt inhoneſta, & hoc dupliciter: quia aut eſt contraria bonis Matrimonii; ut ſi dicam,* Accipiam te, ſi venena ſterilitatis procures: *& tunc non contrahuntur Sponſalia: aut non eſt contraria bonis Matrimonii; ut ſi dicam,* Accipiam te, ſi furtis meis conſentias, *& tunc ſtat promiſſio, ſed tollenda eſt conditio* (ut videre eſt Ext. *De Conditionibus appoſitis in Deſponſatione, &c.* Cap. *Quicumque*, cap. *De illis*, cap. *Super eo*, cap. *Per tuas*, & cap. *Si conditiones.*)

Alia Sponſaliorum diviſio Jure Canonico recepta eſt, c. *Duobus*, Ext. *De Sponſa duorum*, cap. *Veniens*, nec non cap. *Si inter virum*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio.* Ea petitur ex diverſo tempore, quo Sponſalia implenda intelliguntur ex mente contrahentium. Prioris generis Sponſalia ea ſunt, quæ in futurum tempus conferuntur, in quibus dari dicitur *Fides Pactionis*, id eſt, promiſſio contrahendi Matrimonii: & vere proprie dicta ſponſalia ſunt, ut jam innuimus. Poſterioris generis ſunt ea, in quibus datur *Fides Conſenſus*, qui ſcilicet jam tum reciproce interponitur. Hoc poſterius genus Jure Decretalium parem cum Matrimonio inducebat obligationem, quia mutuo contrahentium conſenſu, etiam privatim, & clanculum abſque Sacerdote, & teſtibus ſignificato, Matrimonium perficiebatur: ſed nunc poſt Tridentinam Synodum, quamvis clandeſtina Sponſalia irrita non ſint, Matrimonium certe clandeſtinum irritum eſt, & ne ſponſaliorum quidem vim habet, ut ſupra obſervavi. Multo minus matrimonii vim habent Sponſalia per verba de futuro contracta, etiam ſecuta copula, ut Concilium *Mediolanenſe* 5. ſub *S. Carolo Borromæo*, Tit. *Quæ ad Matrimonium pertinent*, declarat. *Si qui* (inquit) *ætate legitima, & Parocho præſente, teſtibus duobus adhibitis, & Notario jurati ſpoponderunt, ſe Matrimonium inituros, ac deinde non contracto legitime per verba de præſenti Matrimonio, copulationem inter ſe inierunt: eorum Matrimonium nullum ab Epiſcopo declaretur, ac decernatur. Id vero ne accidat, Parochus quam ſæpiſſime Populum, ut opus erit, moneat ad præſcriptum Concilii Trid.*

Cur Sponſalia Matrimonio præmittantur.

III. Sponſalia optimis de cauſſis Matrimonio præmittuntur. Primo, *Ne vilem habeat maritus datum, quam non ſuſpiraverit Sponſus dilatam;* (inquit *S. Aug.* Lib. 7. *Confeſſionum*, cap. 3.) Secundo, ut interim in contrahentium ſtatum, conditionem, & mores diligentior fiat inquiſitio, Tertio, ut Sponſi ad Matrimonii Sacramentum ea, quæ Chriſtianos decet, pietate ſe præparent. Qua de re Sacra Synodus Tridentina ſeſſ. 24. cap. 1. *De Reformatione Matrimonii*, ita ſtatuit: *Poſtremo Sancta Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante Matrimonii conſummationem ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pie accedant. Si quæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus, & cæremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat.*

Et *S. Carolus* in Inſtr. de Matrimonio: *Parochus aget omni cohortatione cum Sponſis, ut ad Matrimonii celebrationem ne accedant prius, quam peccata diligenter confeſſi, Sacram Communionem ſumpſerint, ſaltem triduo ante Matrimonii conſummationem: omnino autem & Jejunio, & aliis piis præparationibus ad hujuſmodi Sacramentum pura mente accedant.*

Qua ætate Sponſalia contrahi poſſint.

IV. Sponſalibus contrahendis ſeptennii ætas a Jure conſtituta eſt, c. *Litteras*, & c. *Acceſſit*, Ext. *De Deſponſatione Impuberum*, ubi *Alexander III.* Eboracenſi Archiepiſcopo reſpondet, Matrimonium inter quemdam, & cujuſdam puellæ, quæ deſponſata ipſi fuerat, matrem celebratum, ſubſiſtere debere: omninoque ratum eſſe, *Si conſtiterit, quod puella non eſſet ſeptennis, quando deſponſata fuit, nec poſtea in eum conſenſit.* Idemque confirmat *Innoc. III.* cap. *Ad diſſolvendum*, ſub eodem Titulo. Si contrahentes nondum quidem ſeptennium attigerunt, ſed parum abſunt ab ea ætate, contractus Sponſaliorum robur habet; (inquit *S. Th.*) quæ propinquitas ſecundum conditionem contrahentium determinanda eſt, quia in quibuſdam magis acceleratur rationis uſus, quam in aliis.

V. Si ante annos pubertatis fiat contractus Sponſalium per alium, ſcilicet per parentes, vel tutores, ambo, vel alter reclamare poſſunt: unde nihil tunc actum eſt: adeo ut nec affinitas ulla ex hoc contrahatur: & ideo Sponſalia, quæ inter aliquos per alias perſonas contrahuntur, robur habent, in quantum illi, inter quos contrahuntur, ad ætatem debitam venientes, non reclamant, ex quo intelliguntur conſentire his, quæ per alios facta ſunt (inquit *S. Th.* in 4. Sentent. diſt. 27. qu. 2. art. 2. ad primum.) Idque colligitur ex cap. *De illis*, Ext. *De Deſponſatione Impuberum*, & ex cap. *Infantes*, in Sexto, ſub eodem Titulo.

Quo modo Sponſalia diſſolvi poſſunt.

VI. Diſſolvuntur Sponſalia aut ipſo Jure, aut facto hominis. Ipſo Jure, cum nulla habita ratione voluntatis, & conſenſus partium, certa cauſſa emergente diſtrahuntur, ſcilicet Matrimonio cum alia perſona inito, Regularis Vitæ Profeſſione ſollemni; orta inter Sponſos ex unius cum alterius cognato, vel cognata concubitu affinitate, & Sacri Ordinis a viro ſuſceptione. Facto hominis diſſolvuntur Sponſalia, vel utriuſque contrahentis diſſenſu, vel cum legitima interveniente cauſſa diſſolutio alterius tantum voluntati permittitur; veluti ex fornicatione, defectione a vera Religione, abſentia diuturna, membrorum amiſſione, incurabilis morbi interventu. Hæc autem ſequentibus Regulis accuratius explicantur.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES.

REGULA PRIMA.

Sponſaliorum fidem frangere, letale peccatum eſt, niſi legitimum impedimentum interveniat.

De fide Sponſaliorum ſervanda.

Ita docet *S. Thom.* in 4. Sentent. diſt. 27. qu. 2. art. 1. ad ſecundum: *Ex tali* (inquit) *promiſſione obligatur unus alii ad Matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interveniat. Et ſecundum hoc etiam Eccleſia cogit, injungendo Pœnitentiam pro peccato: tamen in foro contentioſo non compellitur: quia Matrimonia coacta conſueverunt malos exitus habere: niſi forte Juramentum intervenerit; quia tunc cogendus eſt (ut quidam dicunt:) Quamvis aliis non videatur, propter cauſſam prædictam; præcipue ſi de uxoricidio timeretur.*

Hæc *S. Thomæ* Reſponſio Canonibus conſona eſt. Ita enim ſtatuit Illiberitana Synodus, can. 54. *Si qui parentes fidem fregerint Sponſaliorum, triennii tempore abſtineant ſe a Communione: ſi tamen iidem ſponſus, & ſponſa in illo gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes. Si vero in eodem fuerint vitio, & polluerint ſe conſentiendo, ſuperior ſententia ſervatur.* Refertur can. *Si qui*, cauſſa 31. q. 3. Excommunicationem pro peccato mortali ſolum infligit, docet Concilium Meldenſe, can. 53. Quare fatendum eſt, Sponſaliorum fidem frangentes, vel impedientes crimen admittere capitale cum Illiberitanæ Synodo triennii Excommunicatione puniendi viſi ſint. Quinimmo diſertis verbis id ſignificaverunt Synodi iſtius Patres, dum ſtatim de ipſis Sponſis ſubdunt: *Si tamen idem ſponſus, & ſponſa in illo gravi crimine fuerint deprehenſi.* Grave crimen vocant, tamquam capitale, & mortale.

REGULA II.

Eos, qui Sponſalia legitime contraxerunt, Judex Eccleſiaſticus ad fidem implendam, contrahendum Matrimonium compellere poteſt, ſi nullum occurrat impedimentum: maxime ſi Sponſalia jurejurando firmata ſint.

De fide Sponſaliorum ſervanda.

Hanc Regulam tradit *S. Thomas* loco mox indicato, Jureque Canonico nititur, cap. *Ex litteris*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, quod *Alexandri III.* Reſponſum

ſum eſt, de quodam, qui ſe filiam alterius, conſentiente patre, in uxorem ducturum juraverat, & tamen cum alia Matrimonium contrahere cupiebat, ita decernentis. *Quia prædicto viro periculoſum eſt, contra ſuum juramentum venire: Fraternitati tuæ mandamus, quatenus eam Eccleſiaſtica Cenſura compellas, ut ipſam (niſi rationabilis cauſſa obſtiterit) in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet.*

Et c. *Requiſivit*, quod eſt *Lucii III.* Reſponſum ſub eodem Titulo; ubi de muliere, quæ ſe alicui nupturam interpoſito Juramento firmaverat, & poſtmodum Jurisjurandi religione neglecta, id exequi renuebat: *Cum* (inquit) *libera debeant eſſe Matrimonia, monenda eſt potius quam cogenda: cum coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere.*

Quamvis autem acrius compellendi ſunt, qui Sponſalia Juramento firmavere, propter majus vinculum, & juramenti religionem; ſunt etiam urgendi, ut datam fidem impleant, qui illam ſine juramento obſtrinxerunt. Ad fidem enim promiſſorum ſervandam quiſque ex juſtitia tenetur. Sed tamen ita urgendi ſunt a Judice, ut ex nolentibus volentes fiant, quemadmodum de compellendis ad Fidem Catholicam Hæreticis dicitur can. *Vides*, cauſſa 33. q. 6. ex *S. Aug.* Ceterum ſi ex hujuſmodi Nuptiis gravia ſcandala, implacabiles inimicitiæ, diuturnæ, & periculoſæ lites, & alia id genus mala probabiliter timeantur, & ſponſorum alter ſit in negando conſenſu pertinax, Sponſaliorum diſſolutio permittenda, vel toleranda eſt, ceu minus malum, & gravius malum avertendum. Levius enim, ac tolerabilius malum eſt, Sponſaliorum fidem infringi, quam Matrimonia cogi, duaſque familias implacabilibus diſſidiis, litibus, odiis perturbari.

REGULA III.

Solvuntur Sponſalia per Matrimonium, quod Sponſorum alter cum alia perſona valide contraxerit.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Matrimonii enim vinculum indiſſolubile eſt; adeoque Sponſalia ante illud contracta obſervare eſt impoſſibile. Unde eorum obligatio per ſubſequens Matrimonium extinguitur. Nec tamen ſponſus, vel ſponſa, qui Sponſaliorum fide violata, cum alio, vel alia contraxerunt, a peccato ſunt immunes ut declarat *Gregor. IV.* cap. *Si inter virum*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: *Verum ſi inter ipſos acceſſit tantummodo promiſſio de futuro, utroque dicente alteri; Ego te recipiam in meam: &, Ego te in meum, ſive verba ſimilia: ſi alius mulierem illam per verba de præſenti deſponſaverit, etiamſi inter ipſam, & primum juramentum intervenerit (ſicut diximus) de futuro, hujuſmodi Deſponſationis intuitu ſecundum Matrimonium non poterit ſeparari, ſed eis eſt de violatione fidei Pœnitentia injungenda.*

REGULA IV.

Irrita eſſent ipſo Jure Sponſalia, quæ Vota ſollemnia in Profeſſione Vitæ Religioſæ emitti ſolita, aut Vota etiam ſimplicia Religionis, Caſtitatis, aut ſuſcipiendi Sacros Ordines ſequeretur.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Nemini enim promittere licet, quod præſtare non poteſt, cauſſis legitimis prohibentibus: qui autem hujuſmodi Votis Deo ſe obſtrinxit, Matrimonium contrahere non poteſt, Votis prohibentibus: Poſtrema enim tria contrahendum impediunt, priora etiam dirimunt contractum. Quare Matrimonium promittere non poteſt, qui hujuſmodi Vota Deo nuncupavit.

Id confirmatur ex c. *Rurſus*, Ext. *Qui Clerici, vel voventes Matrimonium contrahere poſſunt*, Quod eſt *Cœleſtini III.* Reſponſum. *Quidam* (inquit) *Votum caſtitatis emittens, juravit ſe quamdam ducturum poſtea in uxorem. Unde a Fraternitate tua requiſiti arbitramur. Quod cum ſimplex Votum apud Deum non minus obliget, quam ſollemne: pro eo quod juravit temere, Pœnitentiam agat, & Votum, quod Deo fecit, ſtudeat obſervare. Quod ſi poſtquam hujuſmodi præſtitit Juramentum, ad Nuptias motu proprio convolaſſet: cum Votum ſimplex Matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat contractum: nihil ambiguitatis Quæſtio tua continere videtur.*

At Votum ſimplex Sponſalia ſubſequens, illa non dirimit, ut docet *S. Anton.* 3. P. Tit. 1. c. 18. §. 2. *Aut Votum ſimplex præcedit Sponſalia ipſa* (inquit) *aut ſequitur: ſi præcedit, tunc impedit, & dirimit Sponſalia etiam jurata: quia hoc caſu Juramentum eſt illicitum, cum juret facere contra, id quod voverat: aut Sponſalia præcedunt Votum ſimplex, & tunc Votum non impedit, vel dirimit Sponſalia; ſed eo caſu cogi debet, vel Votum ſollemnizare, ſcilicet profitendo in Religione, & ſic eſſent ſoluta Sponſalia: vel Sponſalia profiteri, & contrahere Matrimonium.*

REGULA V.

Sponſalia ipſo Jure diſſolvuntur per Profeſſionem Monaſticam.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Cum enim Matrimonium ratum, & non conſummatum, per ſollemnem Religionis Profeſſionem alterius conjugum dirimatur, ut declarat Sacra Synod. Trident. ſeſſ. 24. can. 6. multo magis, Sponſalia, quorum non tam arctum vinculum eſt, per eamdem diſſolvuntur. Id confirmat *S. Th.* in 4. Sent. diſt. 27. q. 2. art. 3. *In duobus* (inquit) *caſibus (ſcilicet cum quis ad Religionem confugit, & cum alter conjugum cum altero per verba de præſenti contrahit) ipſo Jure Sponſalia dirimuntur: ſed in aliis caſibus dirimi debent ſecundum Judicium Eccleſiæ.*

Qui tamen Monaſterium ſimpliciter ingreditur, Sponſaliorum vinculo non ſolvitur, antequam ſollemnibus Votis ſe Deo conſecraverit, Mundoque penitus mortuus ſit. Sed, qui in ſæculo relinquitur, ſponſione ſua liberatus eſt, ſtatim atque Veſtem Religioſam alter ſuſcepit, & Matrimonium cum altero, vel altera contrahere poteſt. Qui enim Religioſam Veſtem induit, cauſſam dedit, ut joco, & ſerio, animo irato, & pacato, poſſit improperari ei cuculli, aut veli aſſumptio, & abjectio, levitas, & inconſtantia, & alia, quæ rixarum materiam præſtare poſſunt, ſi ad ſæculum revertatur.

REGULA VI.

Qui Religionis ingreſſum vovit poſt Sponſalia Juramento firmata, Monaſterium ingredi poteſt nulla Sponſalium habita ratione. Tutius tamen fecerit, ſi primum nubat ob Juramenti religionem, deinde ante Matrimonii conſummationem ſecedat in Monaſterium, ut Votum adimpleat.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Ita reſpondet *Alexander III.* cap. *Commiſſum*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: *Significavit nobis Fraternitas tua, quod quidam cuidam Mulieri de contrahendo Matrimonio fidem dedit, & ſe cum ea intra biennium per verba de præſenti contracturum, præſtito Juramento, firmavit: nunc autem privata lege ductus ad frugem melioris vitæ tranſire ſuſpirat ... Fraternitati tuæ taliter reſpondemus, Quod tutius eſt ei (religione Juramenti ſervata) prius contrahere: & poſtea ſi elegerit, ad religionem migrare; ſi tamen poſt Deſponſationem copula non dignoſcitur interveniſſe carnalis.* Tutius facturum Pontifex reſpondet, ne violati Juramenti reus apud homines habeatur, indeque generetur offenſio: & quia utrumque ſervare poterit & Juramentum, & Votum, ſive ſanctum propoſitum: quamquam Juramentum violare non videtur, qui illud in melius commutat, ut colligitur ex cap. *Pervenit*, Ext. *De Jurejurando*, & cap. *Scriptura*, Ext. De Voto, & Voti redemptione. *Poteſt ergo* (inquit Gloſſa) *ſervare utrumque, ſi vult: tamen ſine peccato poteſt intrare Religionem, & non contrahere.*

REGULA VII.

Subſequens alterutrius Sponſi fornicatio Sponſalia dirimit, etiam jurata.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Hæc enim datæ fidei directe repugnat. *Quamvis enim nondum dederint ſibi mutuo poteſtatem corporis Sponſalia contrahentes, tamen ex hoc efficiuntur ſibi invicem ſuſpecti de non ſervanda fide in futurum; & ideo poteſt ſibi præcavere unus contra alium, Sponſalia dirimendo;* (inquit *S. Thom.* in 4. Sentent. diſt. 27. q. 2. art. 3. ad ſextum.) Eaque Reſponſio conſona eſt Decretali *Innocentii III.* cap. *Quemadmodum*, Ext. *De Jurejurando*, cujus hæc ſunt verba, *Quemadmodum ſi vir mulieri juraſſet, quando contraxit cum illa, quod eam ſemper pro legitima uxore teneret, pro fornicatione, quam mulier antea commiſiſſet, non poſſet eam dimittere, ſed pro fornicatione, quam poſtea perpetraret, eam dimittere poſſet, non obſtante hujuſmodi Juramento: quoniam in eo talis erat ſubintelligenda conditio, ſi videlicet in legem conjugii illa non peccaret: ita ſi quis juraverit ſe ducturum aliquam in uxorem, non poteſt ei fornicationem opponere præcedentem, ſed ſubſequentem, ut illam non ducat in conjugem: quia in illo Juramento talis debet conditio ſubintelligi, ſi videlicet illa contra regulam Deſponſationis non venerit. Alioquin ſi poſt hujuſmodi Juramentum publica meretrix fieret, teneretur eam ducere in uxorem, quod eſt prorſus abſurdum. Nam ſi poſt contractum conjugium vir propter fornicationem licite poteſt uxorem a ſua cohabitatione dimittere; longe fortius ante conjugium celebratum, propter eamdem cauſſam licite poteſt in ſuam cohabitationem non admittere Sponſam: quia turpius ejicitur quam non admittitur hoſpes; non obſtante in alterutro caſu vinculo Juramenti, quod quidem propter ſubintelligendam conditionem eſt tale, ut is, qui juravit ad utrumque, ſine tranſgreſſione poſſit ſe habere.* Id eſt, ut eam recipiat, vel non recipiat. Ceterum fornicario non licet parte invita pactum reſcindere: quippe cui ſui malitia patrocinari non debet. Hæc Regula etiam in puella ab altero vi oppreſſa locum habet; immo & in ea, quæ cum crederetur eſſe virgo, poſtea compertum fuit eſſe corruptam. Ad illam enim ducendam propter inſignem in ea factam, vel cognitam in pejus mutationem, ad ſtatum matrimonii pertinentem, Sponſus non obligatur: maxime cum bigamiæ vitium contrahere nemo cogatur. Quod ſi propter fornicationem corporis Sponſalia dirimuntur, minime dubitandum eſt, quin propter fornicationem

ſpirituale, ſcilicet hæreſim, apoſtaſiam, & quodcumque grave crimen, & infamiam inducens, diſſolvi poſſint.

R E G U L A VIII.

Diſſolvuntur Sponſalia propter affinitatem ex illicita copula, vel cognationem ſpiritualem ſupervenientes, & propter famam cujuſque impedimenti, ſi fama probetur.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Si quis ergo fide interpoſita deſponſavit aliquam, & deinde conſanguineam Sponſæ intra gradum prohibitum carnaliter cognovit, ipſo jure Sponſalia inter eos inita dirimuntur, ut conſtat ex c. *Fraternitati*, c. *Ex litteris*, & c. *Veniens*, quæ ſunt *Innoc. III.* Reſponſa, Ext. *De eo, qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ, vel ſponſæ*.

Idem confirmat *S. Thomas* in 4. Sentent. diſt. 28. q. 2. art. 3. ad quartum reſpondens: *Si ſponſus cognovit conſanguineam ſponſæ, vel e converſo, tunc debent Sponſalia dirimi; & ad hoc probandum ſola fama ſufficit propter ſcandalum vitandum. Cauſſæ enim, quo in futurum expectant effectus ſuos, impediunt a ſuis effectibus non ſolum ex eo, quod eſt, ſed ex eo, quod futurum eſt. Unde ſicut affinitas, ſi eſſet tempore contractus Sponſalium, impediviſſet contractum illum, ita ſi interveniat ante Matrimonium, quod eſt effectus quidam Sponſalium, prior contractus ab effectu ſuo impeditur. Nec in hoc aliquid detrahitur alteri, immo ei confertur; quia abſolvitur ab eo, qui per fornicationem Deo ſe odioſum reddidit.* Affinitatem porro ex illicita copula provenientem Tridentina Synodus ad ſecundum gradum reſtrinxit: unde ſi quis ſponſæ ſuæ conſanguineam in ſecundo gradu cognoverit, irrita fiunt ipſo jure Sponſalia, nullumque inter ſe Matrimonium contrahere poſſunt; aliter tamen ſe res habet, ſi Sponſæ ſuæ conſanguineam in remotiori gradu cognoverit.

Sponſalia pariter dirimit cognatio ſpiritualis ſuperveniens, velut ſi alter alterius filium e ſacro fonte ſuſcipiat, ut conſtat ex c. *Veniens*, Ext. *De Cognatione Spirituali*, quod *Innocentii III.* Reſponſum eſt.

Quod autem ſola fama impedimenti probata ſit ſufficiens ratio Sponſalia dirimendi, conſtat ex c. *Super eo*, quod *Urbani III.* Reſponſum eſt, Ext. *De Conſanguinitate, & affinitate*.

R E G U L A IX.

Sponſalia dirimi poſſunt propter ferociam, & aſperitatem morum alterutrius Sponſi, ſi certo perſpecta ſit, & cognita: non vero ſi vulgi dumtaxat rumore fama illa percrebuerit.

Hæc Regula colligitur ex c. *Veniens*, quod *Alex. III.* Reſponſum eſt, Ext. *Qui Clerici, vel Voventes Matrimonium contrahere poſſunt.*

R E G U L A X.

Sponſalia dirimuntur propter paralyſim, lepram, epilepſiam, aliumve ſimilem morbum, necnon propter magnam deformitatem, vel debilitatem ſupervenientem.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Hæc Regula nititur c. *Litteras*, Ext. *De Conjugio Leproſorum*, quod eſt *Urbani III.* Reſponſum *Quia* (inquit) *poſtulaſti, utrum ſi poſt Sponſalia de futuro inter legitimas perſonas contracta, antequam a viro mulier traducatur, alter eorum lepræ morbum incurrat, alius ad conſummandam copulam maritalem compelli debeat; Reſpondemus, Quod ad eam accipiendam cogi non debet, cum nondum inter eos Matrimonium fuit conſummatum.*

Nititur & c. *Quemadmodum*, quod eſt *Innocen. III.* Ext. *De Jurejurando*, ita reſpondentis: *Quod ſi poſt hujuſmodi juramentum mulier fieret non ſolum leproſa, ſed etiam paralytica, vel oculos, vel naſum amitteret, ſed quicquam ei turpius eveniret, numquid vir teneretur eam ducere in uxorem? Profecto ductam non poſſet dimittere. Sed numquid non ducta admittere tenetur? Quamvis interdum contractum non dirimat, quod impedit contrahendum.*

Idem confirmat *S. Thomas*, in 4. Sentent. diſt. 27. q. 2. art. 3. in Reſponſione ad tertium? *Si* (inquit) *ante contractum Matrimonium aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum, inter quos ſunt contracta Sponſalia, quæ ipſum nimis debilitet, (ut epilepſia, vel paralyſis:) aut eum deformet (ut abſciſſio naſi, vel orbitas oculorum vel aliquid hujuſmodi;) aut quæ ſit contra bonum prolis (ut lepra, quæ ſolet prolem inficere:) poſſunt Sponſalia dirimi, ne ſibi invicem diſpliceant, & Matrimonium ſic contractum malum exitum ſortiatur: nec pro pœna punitur aliquis, ſed ex pœna damnum reportat; quod non eſt inconveniens.*

R E G U L A XI.

Fraus commiſſa in ſolutione dotis, vel impotentia ſolvendi, ſeu aliam quamvis honeſtam conditionem pacto appoſitam adimplendi, cauſſa legitima eſt dirimendi Sponſalia.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Hæc Regula colligitur ex c. *De illis*, Ext. *De conditionibus appoſitis in Deſponſatione*, &c. quod eſt *Alexandri III.* Reſponſum Panormitano Archiepiſcopo datum. *Si vero* (inquit) *aliquis ſub hujuſmodi verbis juramentum alicui mulieri praſtiterit: Ego te in uxorem accipiam, ſi tantum mihi donaveris; reus perjurii non habebitur, ſi eam nolentem ſibi ſolvere, quod ſibi dari petiit, non acceperit in uxorem: niſi conſenſus de præſenti, aut carnalis inter eos ſit commixtio ſubſecuta.*

R E G U L A XII.

Capitales inimicitiæ inter Sponſos, vel eorum parentes ſubortæ ſufficientem rationem præbent dirimendi Sponſalia.

Funeſti enim exitus ex Nuptiis illorum timendi ſunt: quare Eccleſiæ Judicio Sponſalia in ea hypotheſi dirimuntur, juxta cap. *Requiſivit*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*.

R E G U L A XIII.

Sponſalia diſſolvi poſſunt, cum quis ante pubertatis annos illa contraxit.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Poſtquam enim ad pubertatis annos pervenit, eorum diſſolutionem ab Eccleſiaſtico Judice petere poteſt, niſi pubes factus illa expreſſo, vel tacito conſenſu rata habuerit. Idem eſto judicium, ſi ambo impuberes contraxerunt. Contractus enim diſſolutionem petere non poſſunt, antequam ad pubertatem pervenerint, ſed ſolum puberes facti. Id conſtat ex c. *De illis*, Ext. *De Deſponſatione impuberum*, & c. *A nobis*, ſub eodem Titulo, quæ ſunt *Alexandri III.* Reſponſa. Si tamen carnalis commixtio interveniſſet quæ interdum tempus anticipare ſolet pubertatis, Sponſalia dirimenda non eſſent, (inquit idem Pontifex.)

Idem confirmatur ex Ep. 135. *Yvonis* Carnotenſis Epiſcopi ad *Daimbertum* Senonenſem Archiepiſcopum. *De facto* (inquit) *conjugali, quod factum eſt inter duos Nobiles, ita ut qui filiam habebat, juraverit ſe eam traditurum uni de filiis alterius nobilis cui vellet, cum ad nubiles annos virgo perveniſſet: hæc paternitati veſtræ reſpondeo, quod & natura diſpoſuit, & Lex tam Eccleſiaſtica, quam mundana firmavit; quia quorum per conjugalem copulam unum debet fieri corpus, eorumdem pariter animorum eſſe conſenſus. Quicquid ergo pater neſciente virgine juraverit, cum ad annos rationales perducta eſt, niſi ipſa virgo conſentiat, etiam vivente patre, ſecundum Leges irritum erit. Unde Papa Nicolaus Hincmaro ſcribit Epiſcopo;* Sufficiat per Leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur. *Qui conſenſus ſolus in Nuptiis ſi forte defuerit, cetera omnia, etiam cum ipſo coitu fruſtrantur, Joanne Chryſoſtomo magno Doctore atteſtante, qui ait:* Matrimonium non facit coitus, ſed voluntas. *Inde etiam in Legibus Romani Juſtiniani Imperatoris ita habetur:* Sponſalia, ſicut Nuptiæ, conſenſu fiunt contrahentium. Et ideo ſicut in Nuptiis, ita Sponſalibus filias familias conſentire oportet. *Et alibi:* A primordio ætatis effici Sponſalia poſſunt, ſi modo ab utraque perſona id fieri intelligitur, ideſt, ſi non minores ſint quam duodecim annis. *Hoc de propoſita Quæſtione ſentio, & hujuſmodi controverſiam, ſi ad aures meas pervenerit, tali ratione definio.*

R E G U L A XIV.

Sponſalia dirimi poſſunt, cum Sponſorum alter ſine alterius conſenſu in longinquam regionem proficiſcitur.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Nam per hujuſmodi profectionem datam fidem retractare, & voluntatis mutationem declarare videtur. Jure quidem Civili trienni abſentia conſtituta eſt, ut Sponſalia ſolvi poſſint, L. 2. C. *De Repudiis*: ſed Jus Canonicum profectionem ſolam in longinquam regionem abſque alterius conſenſu, legitimam eſſe cauſſam diſſolvendi Sponſalia ſanxit. Sic reſpondit Panormitano Archiepiſcopo *Alexand. III.* c. *De illis*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: *De illis autem, qui præſtito juramento promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea eis incognitis dimittunt terram, ſe ad partes alias transferentes: hoc tibi volumus innoteſcere, quod liberum erit mulieribus ipſis (ſi non eſt amplius in facto proceſſum) ad alia ſe vota transferre: recepta tamen de perjurio pœnitentia, ſi per eos ſteterit, quominus fuerit Matrimonium conſummatum.*

Huic Pontificis oraculo conſona eſt *S. Thomæ* Reſponſio, in 4. Sentent. diſt. 27. q. 2. art. 3. ad ſecundum. *Dubium illud* (inquit) *determinatur ex hoc, quod alter non comparet tempore ſtatuto ad Matrimonium perficiendum; Unde ſi ex parte ejus non defuit, quin Matrimonium compleret, poteſt licite alteri nubere ſine aliquo peccato. Si autem per eum ſtetit, quod Matrimonium non eſt completum, debet agere Pœnitentiam de peccato fractæ promiſſionis, aut juramenti (ſi juramentum intervenit) & contrahere cum aliqua (ſi vult) Judicio Eccleſiæ.* Ceterum priuſquam ſolvantur, abſentem tribus edictis citari in ipſa Eccleſia, in qua Matrimonii futuri Denuntiationes factæ ſunt, ſtatuunt Synodus Senonenſis anno 1524. & Pariſienſis 1527.

R E G U L A XV.

Sponſalia dirimi poſſunt propter lapſum temporis ad ineundum Matrimonium ex conventione partium conſtituti: ille tamen, per quem ſtetit, ne Matrimonium contraheretur, Pœnitentia eluere debet violationem datæ fidei.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Sic reſpondet *Innoc. III.* c. *Sicut*, Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*. Idemque ſanxere Synodus Senonenſis anno 1524. & Pariſienſis anno 1557. Id tamen intelligendum, quando terminus adjicitur Sponſalibus ad reſtringendam obligationem; tunc enim obligatio extinguitur, vinculum ſolvitur: Aliter autem ſe res habet, ubi dies adjicitur obligationi jam contractæ: tunc enim cenſetur potius adjecta ad ſollemnizandum effectum obligationis (ut loquuntur Juriſconſulti) quam ad extinguendam ipſam obligationem. Quare ſi contractis puris Sponſalibus, poſtea tractetur de die Nuptiarum, lapſus illius diei Sponſum a ſponſione Matrimonii non liberat, etiamſi per ipſum non ſteterit, quin illo die contraheret.

R E G U L A XVI.

Sponſalia, etiam jurata, mutuo partium conſenſu ſuam ſponſionem remittentium, dirimi poſſunt.

De Sponſaliorum diſſolutione.

Sic reſpondet *Innoc. III.* c. *Præterea*, 2. Ext. *De Sponſalibus, & Matrimonio*, cujus hæc ſunt verba: *Qui de Matrimonio contrahendo pure, & ſine omni conditione fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, ut præſtitam fidem obſervent. Si autem ſe ad invicem admittere noluerint: ne forte deterius inde contingat, ut talem ſcilicet ducat, quam odio habet: videtur quod ad inſtar eorum, qui ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eamdem ſibi remittunt, hoc poſſit in patientia tolerari.*

Nec ſemper eſt levitatis retractare, quæ prius firmata ſunt, inquit *S. Thomas* quia *incerta ſunt providentiæ noſtræ*, ut dicitur *Sapientia* 9.

Utrum ſponſalia propter Deum jurata remiſſione partium ſolvi poſſit.

Dubitari poteſt, utrum Sponſalia propter Deum jurata, partium remiſſione ſolvantur: reſpondetur, diſtinctione hoc in caſu opus eſſe: aut enim promiſſio præcipue facta fuit Deo, licet in favorem tertii, ut ſi quis dixerit, *Promitto Deo, me talem accepturum in uxorem*: & tunc mulier promiſſionem remittere non poteſt, licet ad ejus utilitatem facta ſit, quia mulieri primario, ac præcipue non eſt facta, ſed Deo, & ſapit rationem voti. Aut promiſſio præcipue facta eſt mulieri; ut ſi quis dixerit, *Promitto tibi Matrimonium intuitu, & amore Dei*: & tunc a muliere, cui, & in cujus utilitatem facta eſt, remitti, & condonari poteſt obligatio. Hæc Reſponſio eſt *S. Thomæ*, 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2. *Homo* (inquit) *poteſt alteri promittere aliquid ſub juramento dupliciter. Uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipſius: puta, ſi ſub juramento promittat ſe ſerviturum ei, vel pecuniam daturum: & a tali promiſſione poteſt abſolvere ille, cui promiſſio facta eſt. Intelligitur enim jam ei ſolviſſe promiſſum, quando facit de eo ſecundum ejus utilitatem. Alio modo promittit aliquis alteri, quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum: puta, ſi aliquis ſub juramento promittat alicui ſe intraturum Religionem, vel aliquod opus pietatis facturum: & tunc ille, cui promittitur, non poteſt abſolvere promittentem; quia promiſſio non eſt facta ei principaliter, ſed Deo: niſi forte ſit interpoſita conditio, ratione cujus poſſit, ſcilicet, ſi illi videbitur, cui promittitur, vel aliquid aliud tale.*

Sponſi abſolvi non poſſint a futuri Matrimonii promiſſione niſi auctoritate Epiſcopi, ſive ab Officiali cauſſa cognita.

Cum autem Sponſi mutuo conſenſu a promiſſis reſilire volunt, abſolvi tamen non poſſunt a promiſſione futurarum Nuptiarum, niſi auctoritate Epiſcopi, ſive ab Officiali cauſſa diſſenſus cognita, ut decrevit Synodus Carnotenſis anno 1526. & Pariſienſis anno 1557. ſub pœna etiam Excommunicationis prohibens, ne quiſquam a Diœceſanis contrarium attentare præſumat.

R E G U L A XVII.

Ad Sponſalia dirimenda non eſt neceſſaria Judicis Eccleſiaſtici Sententia, cum ipſo Jure diſſolvantur.

Hanc Regulam tradit *S. Th.* in 4. Sentent. diſt. 27. q. 1. art. 3. *In duobus* (inquit) *caſibus, ſcilicet, cum quis ad Religionem confugit, & cum alter conjugum cum altero per verba de præſenti contrahit, ipſo jure Sponſalia dirimuntur.* (Tertium caſum addit *S. Anton.* 3. P. Tit. 1. cap. 7. ſcilicet fornicationem notoriam.)

Exceptio.

Sed in aliis caſibus dirimi debent ſecundum Judicium Eccleſiæ; (inquit *S. Th.*) quod tamen expectandum neceſſario non eſſe *S. Anton.* cenſet, ſi Sponſalia clandeſtina ſunt, nec in facie Eccleſiæ, aut præſentibus teſtibus contracta. Verumtamen clandeſtina Sponſalia Eccleſia irrita non fecit, ſed Matrimonia dumtaxat clandeſtina, ut reſpondit S. Congr. Conc. Trid. Interpres. Quambrem quicumque Matrimonium alicui legitime promiſit, ſive pura ſit promiſſio, ſive Juramento firmata; ſeu verbo, ſeu ſcripto; ſive clam, ſive coram teſtibus; ſive in facie Eccleſiæ, ſive abſque præſentia Sacerdotis, Matrimonium contrahere tenetur cum illo, vel illa, cui fidem ſuam obſtrinxit.

R E G U L A XVIII.

Qui ſimpliciter, vel cum juramento promiſit, ſe numquam Matrimonium contracturum cum alio, vel cum alia, contrahere non tenetur, ſed ſolum obligatur ad contrahendum cum illo, vel illa, ſi contrahere velit.

De promiſſis negativis Matrimonii.

Promiſſiones enim, & pactiones negativæ aliam obligationem non pariunt: ſicut ſi quis dicat, Non vendam rem meam niſi Sempronio, non propterea cogi a Sempronio poteſt ad vendendum, niſi velit eam vendere. Quare qui hoc modo promiſere, Ego numquam alteram præter te accipiam uxorem, Ego nulli umquam nubam alteri viro quam tibi, matrimonium cum alio contrahere non poſſunt abſque violatione fidei, & conſequenter abſque lethali peccato, niſi aliqua ex cauſſis Sponſalia dirimentibus intervenerit; ſed tamen cœlibem vitam agere poſſunt, & Nuptiis nuntium in perpetuum remittere.

R E G U L A XIX.

Curare debent Epiſcopi, & Parochi, ne Sponſi, priuſquam Matrimonium in Eccleſia per verba de præſenti celebraverint, non modo ſimul habitent, ſed ne ullo quidem modo mutua conſuetudine, commerciove utantur.

Ita ſtatuit *S. Carolus* in Conc. Provinciali Mediolanenſi 6. Tit. *Quæ ad Matrimonium pertinent*. Qui & carnalem copulam inter Sponſos, ante matrimonii celebrationem coram Parocho, & teſtibus, in eorum peccatorum numero eſſe voluit, quorum Abſolutio Epiſcopo reſervata eſt in Mediolanenſi Provincia, illiuſque peccati reis gravem Pœnitentiam imponi decrevit, in Synodo Provinciali 2. Tit. 1. Decreto 27. Idemque repetit in inſtructionibus *De Sacramento Matrimonii*, & Sponſos ea de re diligenter, ac vehementer a Parocho moneri jubet. Peccata enim carnis, ſive opere conſummata, ſive per oſcula, & amplexus, tactuſve libidinoſos inchoata, gratiæ ſacramentali, & benedictionibus, quas Deus in caſtos conjuges larga manu effundit, obicem ponunt. Synodi Mediolanenſis Secundæ & *S. Caroli* ea de re Decretum ſuum fecit Synodus Aquenſis ann. 1585. celebrata.

R E G U L A XX.

Matrimonio conjungendi non ſunt, qui Chriſtianæ Fidei rudimenta ignorant.

Cautiones Parochorum neceſſariæ.

Ita ſtatuit *S. Carolus* in Concilio Provinciali Mediolanenſi 5. & in Inſtructionibus. Ita Jubet Rituale Romanum.

R E G U L A XXI.

Graviter peccant, qui Sponſalia clandeſtina, ſine præſentia ſcilicet Sacerdotis, & teſtium, nec ritu ab Eccleſia præſcripto contrahunt.

Sponſalia clandeſtina prohibita.

Quamvis enim hujuſmodi Sponſalia Eccleſia irrita non fecerit, ea tamen prohibet; ac Sponſalia in facie Eccleſiæ celebrari Ritualia omnia jubent, eorumque ritum præſcribunt: & Sponſalia nonniſi coram Parocho, vel ejus Vicario, idque in Eccleſia, & non alibi, niſi de licentia Ordinarii, præſentibus teſtibus, & ſine aliqua petulantia fieri, ſtatuunt Synodus Senonenſis anno 1524. Carnotenſis 1526. & Conc. Remenſe anno 1583.

CAPUT IV.

De Impedimentis Matrimonii.

Obſervandum eſt cum *S. Th.* in 4. Sentent. diſt. 34. q. 1. art. 1. Perſonas illegitimas ad Matrimonium dici, ex eo quod ſint contra Legem, qua Matrimonium conſtituitur. *Matrimonium autem in quantum eſt in officium naturæ, ſtatuitur Jure Naturæ: in quantum eſt in officium communitatis, ſtatuitur Jure Civili; in quantum eſt Sacramentum, ſtatuitur Jure Divino: & ideo ex qualibet dictarum Legum, Naturæ, Humanæ, & Divinæ, poteſt perſona effici ad Matrimonium illegitima*, Hoc poſito, ſit

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Eccleſia poſſit conſtituere Impedimenta Matrimonium dirimentia.

P R O P O S I T I O U N I C A.

Eccleſiam potuiſſe, ac poſſe conſtituere Impedimenta Matrimonium dirimentia, Dogma Fidei eſt.

Eccleſiæ poteſtas in conſtituendis impedimentis Matrimonii.

Duobus Canonibus illud expreſſit, ac declaravit Sacra Synodus Trid. Seſſ. 24. ſcilicet can. 3. cujus hæc ſunt verba: *Si quis dixerit, eos tantum conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant, Anathema ſit.*

Et Can. 4. cujus hæc ſunt verba: *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere Impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; Anathema ſit.*

Sane cum Eccleſia ſacra quædam Reſpublica ſit, cui a Chriſto tradita eſt ampliſſima circa res ſpirituales Juriſdictio, Legumque condendarum poteſtas: conſequens eſt, ut ſicut civiles Reſpublicæ conſtituere poſſunt impedimenta civiles contractus prohibentia, vel dirimentia, ita ipſa contractui Matrimonii ad ſpiritualem ordinem, ſcilicet ad Sacramenti dignitatem evecto, & ad forum ſuum pertinenti, impedimenta quædam apponere poſſit ipſum prohibentia, vel dirimentia: alioqui Chriſtus Eccleſiæ ſuæ in neceſſariis defuiſſet, ipſique imperfectam in Matrimonium poteſtatem reliquiſſet. Hæc enim poteſtas illi neceſſaria eſt, ut Chriſtianos ad bona ſpiritualia, quæ Matrimonii Sacramento Chriſtus adjunxit, tuto perducere valeat.

Hanc poteſtatem a Chriſto Eccleſiæ traditam, ex Apoſtolo diſcimus 1. ad Cor. 7. ubi conjugi ad Fidem Chriſtianam converſæ, cum qua vir infidelis pacifice, & citra Creatoris injuriam habitare non vult, permittit, ut ab eo diſcedat, alterique nubat: adeoque infidelitatem ejus, ſeu cultus diſparitatem, hoc in caſu impedimentum eſſe dirimens ſtatuit, ut Chriſti Apoſtolus, ac Miniſter. *Iis* (inquit) *qui Matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem a viro non diſcedere; quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari... Nam ceteris ego dico, non Dominus . . . Si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum: Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem . . . Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat; non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi.* Non præcipit Apoſtolus, ut fidelis mulier in illo caſu innupta maneat, ſed permittit, ut ſi infidelis diſcedit, & ipſa diſcedat, dirempto ſcilicet Matrimonio.

Eccleſiæ poteſtas in Matrimonia fidelium.

Eccleſiæ Jus illud vindicat Traditio, uſuſque perpetuus a prioribus Nominis Chriſtiani ſæculis. *Tertull.* impedimentum diſparitatis cultus agnoſcit L. 2. *ad Uxorem*, ubi illud dumtaxat Chriſtianorum Matrimonium omnimode ratum eſſe docet, *Quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, obſignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater rato habet.* Et Lib. *De Corona Militis*, cap. 13. *Coronant* (inquit) *& Nuptiæ Sponſos: & ideo non nubimus Ethnicis, ne nos ad idololatriam uſque deducant, a qua apud illos Nuptiæ incipiunt.*

Impedimentum Ordinis.

Canon 26. ex iis, qui Apoſtolici inſcribuntur, Ordinem ceu impedimentum Matrimonii conſtituit, & minoribus tantum Clericis Nuptias permittit. *Innuptis autem*, (inquit) *qui ad Clerum provecti ſunt, præcipimus, ut ſi voluerint; uxores accipiant, ſed Lectores, Cantoreſque tantummodo.* Quem canonem Trullana Synodus innovat can. 6.

Impedimentum diſparitatis cultus.

Impedimentum Diſparitatis cultus Synodus Illiberitana confirmat can. 15. Virgines Chriſtianas Gentilibus in matrimonium dari prohibens. Et 17. quo Chriſtianis parentibus, qui filias ſuas Sacerdotibus Idolorum collocaverint, nec in fine dandam eſſe Communionem ſtatuit. Eadem Synodus ſtatuit impedimentum Voti can. 13. nec in fine dandam eſſe Communionem decernens Virginibus, quæ ſe Deo dicaverint, ſi pactum perdiderint virginitatis, atque eidem libidini ſervierint. Impedimentum affinitatis indicant can. 61. & 66. quorum primus his verbis conceptus eſt: *Si quis poſt obitum uxoris ſuæ ſororem ejus duxerit, & ipſa fuerit fidelis; quinquennium placuit a Communione abſtineri.* Poſterior vero ſic habet; *Si quis privignam ſuam duxerit uxorem, eo quod ſit inceſtus, placuit nec in fine dandam eſſe Communionem.*

Impedimentum affinitatis.

Affinitatem velut impedimentum dirimens Neocæſarienſe Conc. can. 2. deſignat. *Mulier* (inquit) *ſi duobus fratribus nupſerit, abjiciatur uſque ad mortem; verumtamen in exitu, ſi promiſerit, quod, ubi convaluerit, ſolvet Matrimonium; propter humanitatem Pœnitentiam habebit.*

Conc. Ancyranum impedimentum Raptus, ſeu violentiæ deſignat can. 11. *Deſponſatas puellas* (inquit) *& poſtea ab aliis raptas, placuit erui, & his redi, quibus fuerant ante deſponſatæ, etiamſi a raptoribus florem pudoris ſui amiſiſſe conſtiterit.*

Ordinis, & Voti.

Impedimenta matrimonii plurima *S. Baſilius* notat in Ep. ad *Amphilochium*, ſcilicet impedimenta Ordinis, & Voti can. 6. *Canonicorum*, inquit, *fornicatio pro Matrimonio non reputetur, ſed eorum conjunctio cum eo divellatur.* Canonicos eos dicit, qui in Eccleſiæ canone numerantur, ſcilicet Clericos, Monachos, Moniales, omneſque Virginitatem profeſſas ut *Balſamon* interpretatur. Et can. 18. *Virgo*, inquit, *adultera judicio ſubjicitur.*

Raptus, ſeu violentiæ.

Can. 22. Raptum, ſeu violentiam impedimentum eſſe dirimens declarat; *Eos*, inquit, *qui ex raptu habent mulieres, ſi ab aliis quidem deſponſas habuerint, non oportet prius admittere, quam ab eis ablatæ ſint, & ſint in eorum poteſtate, quibus deſponſæ fuerant, an eas velint accipere, an deſiſtere. Si quis vero vacantem acceperit, auferre quidem oportet, & ſuis reſtituere; illorum autem ſententiæ permittere, ſive ſint parentes, ſive fratres, ſive quicumque alii virgini præſint.*

Can. 23. Affinitatis impedimentum attingit, irritum eſſe declarans matrimonium ejus, qui Viduam fratris ſui duxit uxorem, necnon illorum qui duas ſorores ducunt, vel illarum, quæ duobus fratribus nubunt; citatque *S. Baſilii* Epiſtolam ea de re ſcriptam ad *Diodorum*, quæ eſt centeſima nonageſima ſeptima, cujus hæc ſunt verba: *Principio igitur, quod in ejuſmodi rebus maximi momenti eſt, Morem, qui apud nos eſt, objicere poſſumus, quod is legit vim habeat; propterea quod Sanctiones iſtæ a Sanctis nobis ſunt Viris traditæ; eſt autem hic Mos talis: Si quis affectu immundo correptus ad illicitam duarum ſororum communicationem exhorbitaverit, id neque conjugium eſſe cenſendum; neque talem ad Eccleſiaſticum cœtum admittendum, priuſquam a ſe invicem dirimantur.*

Siricius Pont. Max. Ep. 1. ad *Himerium* Tarraconenſem Epiſcopum, cap. 4. Deſponſatam alteri puellam, ab altero in matrimonium accipi prohibet: *Quia illa benedictio, quam nupturæ Sacerdos imponit, apud Fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.* En impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis.

Impedimentum Voti.

Cap. 6. Monachorum, & Monacharum ſacrilega matrimonia execratur, ceu Eccleſiæ Jure, publiciſque Legibus prohibita; *Quod publicæ Leges*, inquit, *& Eccleſiaſtica Jura condemnant.* Eos in ergaſtula detrudi jubet, ut Pœnitentiam agant; eiſque in exitu dumtaxat per Communionis gratiam ſubveniri. En impedimentum Voti.

Conc. Carthaginenſe ſecundum anno 390. ſub Epiſcopo, can. 2. ſtatuit, *Ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab uxoribus ſe abſtineant.* En impedimentum Ordinis.

Conc. Carthaginenſe quartum, canone centeſimo quarto, *Viduas, quæ religioſitatem voverunt*, notari ait, *Adulterii crimine, ſi devotionem, quam Deo ſponte, non coactæ obtulerunt, libidinoſa corruperint voluptate, atque ad ſecundas Nuptias tranſitum fecerint.* En impedimentum Voti.

Innoc. I. ep. 9. ad *Probum*, Matrimonium *Fortunii*, cujus Uxor *Urſa* nomine a Barbaris rapta fuerat, ipſa ſuperſtite contractum, *Nullo pacto poſſe eſſe legitimum* pronuntiat. En impedimentum Ligaminis.

Idem impedimentum confirmat *S. Leo* Epiſt. 129. alias 79. ad *Nicetam* Aquilejenſem Epiſcopum, Mulieres, quæ viris in captivitatem abductis, aliis nupſerant, & ad illos poſtea reverſos redire nolebant, Eccleſiaſtica Communione privari decernit: *Quæ de re excuſabili contaminationem criminis elegerunt, oſtendentes ſibi pro ſua incontinentia placuiſſe, quod juſta remiſſio poterat expiare.* Nam (ut præmiſerat) *Omittendum eſt, & inculpabile judicandum, quod neceſſitas intulis; & reſtituendum, quod fides poſcit.*

Eccleſiæ poteſtas in Matrimonia.

Et Ep. 12. alias 84. ad *Anaſtaſium* Theſſalonicenſem Epiſcopum, cap. 4. *Nec Subdiaconis* (inquit) *carnale connubium conceditur: Ut & qui habent, ſint tamquam non habentes, & qui non habent, permaneant ſingulares.* En impedimentum Ordinis.

Impedimentum conditionis.

Epiſt. 2. alias 92. ad *Ruſticum* Narbonenſem Epiſcopum, cap. 4. de conditionis impedimento ſcribit: *Nuptiarum autem fœdera inter ingenuos ſunt legitima, & inter æquales.* Et cap. 6. *Ancillam a thoro abjicere, & uxorem certæ ingenuitatis accipere, non duplicatio conjugii, ſed profectus eſt honeſtatis.*

Conc. Chalcedonenſe can. 16. Monachis, & ſacris Virginibus *Non licere Matrimonio conjungi*, declarat; ſin autem inventi fuerint hoc perpetrantes, excommunicari decernit. Ecce rurſus impedimentum Voti.

Impedimentum Voti, Conſanguinitatis, & affinitatis.

Concil. Agathenſe anno quingenteſimo ſexto, can. 61. conſanguineorum, & affinium Matrimonia irrita eſſe pronuntiat. *De inceſtis* (inquit) *conjunctionibus nihil prorſus veniæ reſervamus, niſi cum adulterium ſeparatione ſanaverint: Inceſtos vero nullo conjugii nomine deputandos, quos etiam deſignare funeſtum eſt, hos eſſe cenſemus: ſi quis relictam fratris, quæ pene prius ſoror extiterat, carnali conjunctione polluerit: ſi quis frater germanam uxoris acceperit: ſi quis novercam duxerit, ſi quis conſobrinæ ſe ſociaverit; ſi quis relictæ, vel filiæ avunculi miſceatur, aut patrui filiæ, vel privignæ ſuæ: aut qui ex propria conſanguinitate aliquam, aut quam conſanguineus habuit, concubitu polluerit, aut duxerit uxorem: quos omnes, & olim, atque ſub hac conſtitutione inceſtos eſſe non dubitamus: & inter Catechumenos uſque ad legitimam ſatisfactionem manere, & orare præcipimus: quod ita præſenti tempore prohibemus, ut ea, quæ ſunt hactenus conſtituta, non diſſolvantur.*

Symmachus Pont. Max. Ep. ad *Cæſarium* Arelatenſem Epiſcopum cap. 5. Viduis, *Quæ in religioſo propoſito diuturna obſervatione permanſerunt: & Virginibus, quas annis plurimis in Monaſteriis ætatem peregiſſe contigerit*, Nuptias prohibet.

Conc. Lugdunenſe 1. anno 517. Sententiam tulit in *Stephanum* quemdam, qui cognatam ſuam *ſibi illicite ſociaverat.*

Conc. Aurelianenſe 2. ann. 533. can. 11. contracta Matrimonia ob ſupervenientem infirmitatem ſolvi vetat. Et can. 17. Matrimonia Diaconiſſarum irrita declarat.

Concil. Aurelianenſe 3. anno 1538. de Matrimonii impedimentis plurima ſuperiorum Conciliorum, aut Summorum Pontificum Statuta renovat. Can. 7. Clericos legitima ætate, abſque reclamatione, ordinatos, qui poſt ſacram Ordinationem uxores duxerint, cum ipſis mulieribus, quas acceperint, Excommunicatione percellit. Can. 9. priora Statuta circa Matrimonia conſanguineorum, vel affinium ſervari jubet, ita tamen, ut cum illis, qui ante Baptiſmum, vel ignorantes hucuſque contraxerunt, ſuper hoc impedimento diſpenſetur. *De inceſtis* (inquit) *conjunctionibus ita, quæ ſunt ſtatuta, ſerventur, ut his, qui aut modo ad Baptiſmum veniunt, aut quibus Patrum Statuta Sacerdotali prædicatione in notitia antea non venerunt; ita pro novitate converſionis, ac fidei ſuæ credimus conſulendum, ut contracta hucuſque hujuſmodi conjugia non ſolvantur, ſed in futurum, quod de inceſtis conjunctionibus in anterioribus Canonibus interdictum eſt, obſervetur; ideſt, ut ne quis ſibi ſub conjugii nomine ſociare præſumat relictam patris, filiam uxoris, relictam fratris, ſororem uxoris, conſobrinam, aut ſobrinam, relictam avunculi, aut patrui. Quod ſi qui in hoc inceſti adulterio potius, quam conjugio fuerint ſociati, quamdiu ſe non ſequeſtraverint, a Communione Eccleſiaſtica repellantur. Illud etiam adjiciendum eſſe credidimus, ut in Epiſcopi diſcuſſione conſiſtat, de his qui in civitate ſua, ac territorio conſiſtunt, & tali ſunt ordine ſociati, utrum ignoranter ad illicita conjugia venerint, an per contumaciam, quæ ſunt interdicta, præſumpſerint: quia ſicut his, qui per ignorantiam lapſi ſunt, ſubvenitur, ita illis, quibus prius Patrum Statuta in notitiam venerunt, quique etiam contra Sacerdotum interdicta in tali permixtione verſantur, priorum Canonum in omnibus Statuta ſerventur, ut non prius ad Communionem recipiantur, quam inceſti adulterium, ſicut ſcriptum eſt, ſeparatione ſanaverint.*

Eccleſiæ poteſtas in Matrimonia.

Impedimentum conditionis.

Conc. Aurelianenſe 4. anno 541. can. 24. Mancipiorum conjugia invitis dominis contracta, irrita declarat: *Quæcumque mancipia*, inquit, *ſub ſpecie conjugii ad Eccleſiæ ſepta confugerint, ut per hoc credant poſſe fieri conjugium, minime eis licentia tribuatur, nec talis conjunctio a Clericis defenſetur: quia probatum eſt, ut ſine legitima traditione conjuncti, pro Religionis ordine, ſtatuto tempore ab Eccleſiæ Communione ſuſpendantur, ne in ſacris locis turpi concubitu miſceantur. De qua re decernimus, ut parentibus aut propriis dominis, prout ratio poſcit perſonarum, accepta fide excuſati ſub ſeparationis promiſſione reddantur &c.* Et impedimentum conditionis confirmatum. Eadem Synodus can. 27. Conc. Aurelianenſis 3. & Conc. Epaonenſis Statuta de inceſtis conjunctionibus renovat.

Superiorum Conciliorum, ac Pontificum Decreta de Matrimonii impedimentis confirmant, & obſervari jubent Conc. Turonenſe 2. Canonibus 15. & 20. Antiſiodorenſe Canonibus 22. 27. 28. 29. 30. 31. 42. Matiſconenſe 1. can. 12. Matiſconenſe 2. Canonibus 16. & 18. & Lugdunenſe 3. can. 4.

Eccleſiæ Romanæ diſciplina.

S. Greg Magnus Lib 6. Ep. 1. ad *Fortunatum* Epiſcopum Neapolitanum, in cauſſa impedimenti dirimentis Sententiam tulit, mulierem quamdam, quam maritus dimiſerat ob conditionem ſervitutis tempore conjugii (ut objiciebat) diſſimulatam, marito reſtitui, ab eoque conjugali affectu tractari decernit, quia probata fuerat illius libertas, nullaque ſervilis in ea macula inventa.

Epiſtola 119. Lib. 7. *Virgilium*, & *Syagrium* Gallicanos Epiſcopos arguit, quod *Syagriæ*, quæ Vitam Religioſam profeſſa fuerat, mutatis veſtibus, poſteaque marito violenter ſociata, defenſionem, ut bonos Paſtores decebat, non ſuſcepiſſent. *Quid enim dicturi*, inquit, *quamve rationem futuro eſtis Judici reddituri, quos ſtupri ſcortatio non commovit, quos ad defendendum favor nequaquam Religioſi habitus excitavit, quos ad tutandam pudicitiæ integritatem Sacerdotalis conſideratio non erexit? Vel nunc ergo neglectus ad memoriam redeat, hujus recordatio culpæ ſollicitet, & Officii veſtri conſideratio ad prædictæ mulieris vos adhortationem impellat. Et ne forte per tempus tranſiiſſet in voluntatem neceſſitas, lingua illi veſtra medela ſit, atque admonentibus vobis, orationibus operam det, de memoria lamenta Pœnitentiæ non recedant, Redemptori noſtro cor pœnitens exhibeat, & caſtitatis damna, quam ei corpore ſervare non licuit, fletu reſarciat.* Duplex impedimentum dirimens in ea conjunctione interceſſiſſe *Sanctus Gregorius* ſignificat, Violentiæ, ſcilicet, atque Voti.

Ep. 31 Lib. 12. ad *Auguſtinum* Epiſcopum & Apoſtolum Gentis Anglorum, plura circa Matrimonii Impedimenta ſtatuit, ac declarat, præſertim in Reſponſione ad ſextam, & ſeptimam interrogationem. *Quædam*, inquit, *terrena Lex in Romana Republica permittit; ut ſive fratris, ſive ſororis, ſeu duorum fratrum germanorum, vel duarum ſororum filius, & filia miſceantur. Sed experimento didicimus, ex tali conjugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere. Et Sacra Lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde neceſſe eſt, ut jam tertia, vel quarta generatio Fidelium licenter ſibi jungi debeat. Nam ſecunda, quam diximus, a ſe omnimode debet abſtinere. Cum noverca autem miſceri, grave eſt facinus ..... Cum cognata quoque miſceri, prohibitum eſt, quæ per conjunctionem priorem caro fratris effecta eſt.* Terrena Lex, cujus meminit *S. Gregorius*, eſt Lex, *Celebrandis*, 19. Lib. 5. *Cod.* Tit. *De Nuptiis.* Theodoſius Magnus conſobrinorum conjugia Lege lata prohibuerat, ut teſtantur *S. Ambroſius* Epiſt. 60. Novæ Editionis Pariſienſis, *S. Aug.* Lib. 15. *De Civit. Dei*, & alii. Eam revocaverant Arcadius, & Honorius Imperatores ejus filii, Lib. *Celebrandis*, mox indicata. Eccleſia nihilominus Theodoſii Magni Legem approbavit, ſuam fecit, retinuit, ut ex Summorum Pontificum Decretis, & Conciliorum Canonibus jam allatis conſtat. Adeoque non precaria Auctoritate, ideſt, a Principibus accepta, matrimonii impedimenta conſtituit, aut eorum conceſſione de matrimonii impedimentis judicavit, ſed Auctoritate propria, a Chriſto Sponſo ſibi tradita.

Leges Eccleſiaſticæ a S. Greg. Magn. temperatæ in gratiam Anglorum recens ad fidem converſorum.

Legum vero Eccleſiaſticarum rigorem, in favorem Anglorum ad Fidem recens converſorum temperat *S. Greg.* & matrimonia ante Baptiſmum ab ipſis in gradibus prohibitis contracta tolerat. *Quia vero*, inquit, *multi ſunt in Anglorum Gente, qui dum adhuc in infidelitate eſſent, huic nefando conjugio dicuntur admixti: ad fidem venientes admonendi ſunt, ut ſe abſtineant, & grave hoc peccatum eſſe cognoſcant. Tremendum Dei Judicium pertimeſcant, ne pro carnali delectatione tormenta æterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re Corporis, & Sanguinis Domini Communione privandi ſunt, ne in eis illa ulciſci videamur, in quibus ſe per ignorantiam ante lavacrum Baptiſmatis adſtrinxerunt. In hoc enim tempore S. Eccleſia quædam per favorem corrigit, quædam per manſuetudinem tolerat, quædam per conſiderationem diſſimulat, atque portat, ut ſæpe malum, quod adverſatur, portando, & diſſimulando compeſcat. Omnes autem, qui ad fidem veniunt, admonendi ſunt, ne aliquid tale audeant perpetrare, &c.*

Eccleſiæ Gallicanæ diſciplina.

Conc. Pariſienſe 5. an. 615. duobus Canonibus totidem matrimonii impedimenta dirimentia confirmat, & declarat, ſcilicet impedimentum Voti can. 13. & impedimentum Conſanguinitatis, & Affinitatis, can. 14.

De Viduis, & Puellis, quæ ſibi veſtes in habitu Religionis in domibus propriis, tam a parentibus, quam per ſe ipſam mutaverint, & ſepoſtea contra ſtatuta Patrum, vel præcepta Canonum conjugio crediderint copulandas, tamdiu utrique habeantur a Communione ſuſpenſi, quouſque quod illicite perpetraverunt, emendent: aut ſi emendare neglexerint, a Communione Eccleſiaſtica, vel omnium Chriſtianorum convivio in perpetuum ſint ſequeſtrati.

Inceſtas vero conjunctiones ab omni Chriſtianorum Populo cenſuimus ſpecialiter recuſari: ita ut ſi quis relictam fratris, ſororem uxoris, privignam, conſobrinam, ſobrinam, vel relictam item patrui, atque avunculi, vel in Religionis habitu deditam, conjugii crediderit conſortio violandam, tamdiu a Communionis conſortio ſegregetur, quamdiu ab illicitis conjunctionibus ſequeſtratione manifeſtiſſima debeat abſtinere.

Eccleſiæ poteſtas in Matrimonia.

Concilium Remenſe anno 625. Canones Synodi Pariſienſis, quam *Generalem* vocat, Eccleſiæ nimirum Gallicanæ Plenariam, omni firmitate cuſtodiri jubet. Inceſtas conjunctiones can. 8. rurſus prohibet, irritas declarat, atque ita conjunctos novis pœnis ſubjicit, niſi Pœnitentiam ſceleris mutua ſeparatione teſtentur. *De inceſtis*, inquit, *conjunctionibus, ſi quis infra ſcriptum Canonibus gradum inceſtuoſo ordine cum his perſonis, quibus a divinis Regulis prohibetur, ſe conjunxerit, niſi Pœnitentiam ſequeſtratione teſtentur, Communione priventur; & neque in Palatio Militiam, neque agendarum cauſſarum licentiam habeant. Et quando prædicti ſe inceſtuoſi conjunxerint, Epiſcopi, ſeu Presbyteri, in quorum Diœceſi, vel pago actum fuerit, Regi, vel Judicibus ſcelus perpetratum annuntient; ut cum ipſis denuntiatum fuerit, ſe ab eorum communione, aut cohabitatione ſequeſtrent, & res eorum ad proprios parentes perveniant, ſub ea conditione, ut antequam ſequeſtrentur, per nullum ingenium, neque per parentes, neque per emptionem, neque per auctoritatem Regiam, ad proprias perveniant facultates, niſi præfati ſceleris ſeparatione Pœnitentiam fateantur.*

Concilium Toletanum 4. anno 633. can. 44. irrita declarat conjugia Clericorum, qui Viduam, vel repudiatam, vel meretricem duxiſſent, & hujuſmodi conjugia a proprio Epiſcopo diſſolvi jubet. Canon. 63. Chriſtianas mulieres Judæis ante converſionem Matrimonio conjunctas, ab illis ſeparari ſtatuit, niſi Chriſtiani fiant. Filios vero ex hujuſmodi connubiis natos, in Fide Chriſtiana inſtitui, matriſque religionem, & conditionem ſequi.

Hiſpanienſis Eccleſiæ diſciplina.

Concilium Toletanum 13. anno circiter 638. can. 5. vetat ne quis *Superſtitem Reginam, poſt decedentis Principis mortem, ſibi in connubio copulet*: Quod ſi quiſquam id facere præſumpſerit, *ſive ſit Rex, ſive quilibet hominum, ſit ab omni Chriſtianorum Communione ſecluſus, & ſulphureis cum diabolo contrudatur ignibus exurendus.* Hunc, ceteroſque Concilii Canones Rex *Ervigius* auctoritate ſua confirmavit, non auctoritatem tribuendo, ſed executionem eorum imperando. Hæc autem Diſciplina Hiſpanienſis licet Eccleſiæ propria, & ſingularis, luculenter probat Eccleſiæ Auctoritatem in Matrimonii impedimentis conſtituendis.

Impedimentum ſpiritualis affinitatis.

Eccleſia Orientalis in Trullana Synodo, can. 53. ſpiritualis affinitatis impedimentum adſtruit. *Quoniam*, inquit, *ſpiritualis neceſſitudo, ſeu affinitas, corporum conjunctione major eſt; in nonnullis autem locis cognovimus quoſdam, qui ex ſancto, & ſalutari Baptiſmate infantes ſuſcipiunt, poſtea quoque cum matribus illorum Viduis Matrimonium contrahere; ſtatuimus, ut in poſterum nihil fiat ejuſmodi. Si qui au-*

tem